

Precationes

in usum

juventutis literarum studiosae.

Curavit

P. Thomas Kramer,

O. S. B.

Landishuti.

Apud G. J. Wölfle.

Libraria universitatis Krülliana.

1 8 5 1.

Permittente superiore.

Pauca de oratione.

„Ante orationem praepara animam tuam et noli esse quasi homo, qui tentat Deum!" Sir. 18.

Ad preces, quae Deo placeant, rite faciendas requiruntur:

1. Conscientia rectae voluntatis, vel saltem animus peccatorum vere poenitens. *„Qui scelera sua confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur."* Prov. 28.

2. Fides vera, quae per caritatem operatur. *„Sine fide impossibile est placere Deo."* Hebr. 11.

3. Spes firma, Deum nos exauditurum, si saluti nostrae prosit. *„Postulet autem in fide, nihil haesitans;*

qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur; non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino." Jac. 1.

4. Humilitas externa et interna. *„Respexit orationem humilium et non sprevit precem eorum."* Psal. 101.

5. Attentio animi: *„Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine!"* Psalm. 118.

6. Perseverantia orationis, etsi non statim exaudiamur. *„Multum enim valet deprecatio justi assidua."* Jac. 5.

Pars prior:

PRECES MATUTINAS ET VESPERTINAS CONTINENS, NEC NON MISSARUM, CONFESSIONIS ET COMMUNIONIS EXERCITIUM.

Preces matutinae.

„Sapiens cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione et pro delictis suis deprecabitur.“ Sir. 39.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen. Adoro te, mi Deus, et amo te ex toto corde meo. Gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quae mihi tribuisti. Te protegente noctem hanc transegi somnoque solutus sum, ut tuae voluntati per hunc diem obsequi teque amare possim. Tibi, Pater aeterne, offero omnes animae corporisque vires et sensus et quidquid est in me; suscipe me, creaturam tuam, omniaque opera mea in unione meri-

torum dilectissimi Filii tui, B. Mariae V. et omnium Sanctorum. Omnia et singula, quae per totum diem faciam, tibi adscripta volo. Sed per imbecillitatem meam sine te nihil possum facere et multa sunt, quae incautum me circumveniunt pericula; quare ad te clamo, ad te manus meas expando, a te auxilium, studia mea et munera diei persolvendi et peccatorum pericula effugiendi, venturum mihi spero. Custodi me hoc die ab omni malo et doce me facere voluntatem tuam. Dirige omnia verba, cogitationes et opera ad majorem tui nominis gloriam et salutem animae meae, ut hoc die ad nullum declinem peccatum, sed semper ad tuam faciendam voluntatem mea procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.

Credo Domine firmissime om-

nia, quae sancta Ecclesia catholica credenda proponit; quia tu ea revelasti, qui es infinite verax et sanctus, nec potes falli nec fallere.

Omnem spem meam in te pono et spero me consecuturum vitam aeternam et omne bonum, quo indigeo, ut salvus fiam. Tu enim ea promisisti, qui es omnipotens, infinite bonus et fidelis ac promissa solvere potes et vis.

Amo te Domine super omnia; dignus es enim solus, qui ameris nec habes similem tui, qui te amabilitate et bonitate aequet. Volo te amare eo amore, quo te amant Angeli et Sancti, cum quorum amore conjungo imperfectum amorem meum.

Doleo vehementer peccata mea, quibus te offendi Patrem mei amantissimum et statuo, per hunc diem et totam vitam meam omne delictum vi-

tare gratia tua juvante; imprimis hoc vitio N., quo maxime impugnor, me liberare studebo.

Vos quoque, Sancti et Electi Dei, invoco, te inprimis Sancta Virgo Maria, te Sancte Angele custos, ut mihi hodie subveniatis in exsequendis propositis.

Dignare, Domine, die hoc sine peccato nos custodire. Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te. Miserere nostri, Domine, miserere nostri. In te Domine speravi, non confundar in aeternum!

Pater noster, qui es in coelis! Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimit-

timus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.

Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui: Jesus. Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Salutatio angelica.

Angelus Domini nuntiavit Mariae et concepit de Spiritu Sancto. — Ave Maria etc.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. — Ave Maria etc.

Et verbum caro factum est et habitavit in nobis- — Ave Maria etc.

Benedictio Dei omnipotentis, Pa-

tris et Filii et Spiritus S. descendat super nos et maneat semper. Amen.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Ante studium.

Actiones nostras, quaesumus Domine, adspirando praeveni et adjuvândo prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ave Maria etc.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Studio peracto.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis,

quae hodie et tota vita nostra in nos contulisti, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ave Maria etc.

Gloria Patri etc.

Preces vespertinae.

O clementissime Deus, creator, protector, redemptor! Gratias ago tibi pro omnibus corporis et animi donis et beneficiis hodie in me collatis: pro cibo potuque, pro omni literarum institutione, pro auxilio tuo et omnibus gratiis, quibus per hunc diem valui ad vitanda multa peccata. Utinam omnia et singulahodie effugissem, quibus tu, Optime, Maxime, offenderis! Utinam semper gratiis tuis respondissem! Illumina mentis meae tenebras ut et peccata commissa et negligentias meas intelligam et detester!

Hic conscientiam tuam scrutare:

Num mane preces devote, attente, pie feceris?

Num interfueris ss. Missae Sa-

crificio non corpore tantum, sed etiam mente et animo?

Num diligenter et cum intentione, Deo placendi studueris?

Num cogitationes tuae, verba, opera fuerint ejusmodi, quin Deum offenderint?

Num proposita confessionis novissimae memineris et persecutus sis?

En, Domine, quid retribui tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi, nisi peccata, negligentias, animum beneficiorum immemorem! Intimo in corde doleo peccata mea; poenitet me, quod te offendi, non ideo solum, quod post mortem a te puniri promerui, sed quia tantopere inobediens fui et ingratus erga te, summum Dominum meum et patrem et benefactorem maximum! Erravi sicut ovis, quae periit. Respice

in me et miserere mei. Ignosce, o Deus, per passionem et mortem dilectissimi Filii tui Domini mei Jesu Christi, per merita sanctae Virginis Mariae et omnium Sanctorum!

Ecce, mi Jesu, in te posita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut omnia delicta mea sacratissimo Sanguini tuo immergas tuisque infinitis meritis compenses, quidquid dolori meo deest et satisfactioni; tu enim es propitiatio pro peccatis nostris. Detestor omnia peccata mea mihique propono per tuam gratiam, et odio habere in posterum quodlibet peccatum, et fugere omnes peccandi occasiones et adhibere ad relapsum cavendum res necessarias. Mori malo, quam te offendere.

Vos vero, o sancti Patroni, inprimis Virgo Mater, et tu, Angele Custos omnesque coelites, qui indefesse lau-

datis Deum, vos mei curam agite et Deo me commendate ut protegar ab insidiis hostium meorum, qui nobis dormientibus semper vigilant parati ad nocendum. Sit Deus adjutor et protector meus et nulla mihi diversitas nocere poterit.

Pax Domini mei Jesu Christi, virtus sanctissimae passionis ejus, signum s. crucis et titulus triumphalis: Jesus Nazarenus Rex Judaeorum; integritas quoque B. V. M. et custodia sancti Angeli mei sint inter me et omnes mihi infensos spiritus, ut post castam et intemeratam quietem matutino tempore sine mora surgens creatori meo debitas laudes referre et officia mea alacriter obire possim. Amen. — Pater noster etc. — Ave Maria etc. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Cum lectum subis, crucis signo te munias, dicens:

In nomine Domini mei Jesu Christi cubitum eo, qui me pretioso sanguine suo redemit, ille me benedicat, regat, custodiat hac nocte et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Deinde pollice scribe in fronte tuo has quator literas: J. N. R. J. *dicens:* Jesus Nazarenus Rex Judaeorum praeservet me ab omni peccato et subitanea morte.

Memento, in lectulo ita jacere, ut cubitus tuus neque Angelum custodem dolore, neque diabolum gaudio afficiat. Et si statim somnum capere non possis, orare incipies, quo facilius omnibus vanis cogitationibus aditus intercludatur. Deus te videt in tenebris et angelus ad te assistit!

Preces sub sacrosancto Missae sacrificio.

Praeparatio.

Domine Jesu Christe, verbum Patris, qui corporis et sanguinis tui Sacramentum in ultima coena instituisti illudque in passionis et mortis tuae memoriam a sacerdotibus offerri voluisti: fac me, quaeso, participem meritorum et beneficiorum tuorum, quae in hac Missa rememorantur, et concede, ut devote et attente intersim huic sanctissimo sacrificio, quod cum sacerdote tibi nunc humiliter offero in memoriam amarissimae tuae passionis et mortis, in honorem B. V. M. omniumque electorum tuorum, ad delictorum meorum remissionem et purgationem, ad impetrandas omnes gratias,

Preces vespertinae.

O clementissime Deus, creator, protector, redemptor! Gratias ago tibi pro omnibus corporis et animi donis et beneficiis hodie in me collatis: pro cibo potuque, pro omni literarum institutione, pro auxilio tuo et omnibus gratiis, quibus per hunc diem valui ad vitanda multa peccata. Utinam omnia et singulahodie effugissem, quibus tu, Optime, Maxime, offenderis! Utinam semper gratiis tuis respondissem! Illumina mentis meae tenebras ut et peccata commissa et negligentias meas intelligam et detester!

Hic conscientiam tuam scrutare:

Num mane preces devote, attente, pie feceris?

Num interfueris ss. Missae Sa-

crificia [illegible]
etiam [illegible]
[illegible]
Deo placeat [illegible]
[illegible]
opera fuerunt [illegible]
offenderunt?
[illegible]
ris[illegible]
sis?
[illegible]
omnium [illegible]
pecca[illegible]
[illegible]
[illegible]
te [illegible]
[illegible]
[illegible]
erga te [illegible]
patrem [illegible]
Erravi [illegible]

timore
sgressus
vi, dona
iem pec-
qui velle
ccatorum
tiae fru-

)eus, cu-
non est
ım solus
miserere
et igno-
Domine,
manibus
relinquas
m disces-
in manus
nam me-

quibus mihi opus est, ut juventutem meam transigam in sinceritate et puritate animi, pro omnibus christianis vivis ac defunctis. Da gratiam, ut huic divino monumento potentiae, sapientiae et bonitatis tuae, huic compendio omnium a te mire factorum attentione ea assistere possim, quam exigit tuae majestatis praesentia, tot mysteriorum, quae hic gerentur, magnificentia.

Ad Introitum.

Tibi Domine Deus confiteor cum dolore delicta mea; propter ineffabilem pietatem et misericordiam tuam suscipe, quaeso, confessionem meam, imo ipse largire, ut toto animo confitear, qui dignatus es dicere: „Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.“ Ego sum Domine ille ingra-

tissimus peccator, qui omni timore postposito praecepta tua transgressus sum, sanctitatem animae violavi, dona et gratias tuas profudi! At finem peccandi faciam; da mihi posse, qui velle dedisti, et fac, ut radices peccatorum excidam et dignos poenitentiae fructus concede.

Ad Kyrie.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordiae et pietatis non est numerus, qui occulta cordium solus agnoscis: respice in me et miserere mei! Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris Domine, sed erue animam meam de manibus inimicorum meorum! Ne derelinquas me, Domine Deus, ne unquam discesseris a me, neve tradas me in manus quaerentium inimicorum animam me-

am, sed libera eam de omni angustia et damnatione et salvum me fac misericordiâ tuâ.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.

A Gloria usque ad Offertorium.

Domine Jesu Christe, Deus misericors et aeterne, ad te confugio ego peccator animo impuro et illecebris peccatorum vulnerato, qui tantum vanitatem hujus mundi quaesivi, carnis delicias expetivi et quae tu odisti, amore complexus sum. Ad te, Domine, exclamo, tibi remedium supplico. Da mihi quaeso, munditiem et puritatem mentis, simplicitatem recti spiritus et omnes inordinatas in me extingue commotiones. Exstirpa radicitus in me, Domine, quidquid restat

concupiscentiae carnalis; evelle quidquid in me est vitiorum et quidquid tibi in me displicet penitus aufer. Crea in me, Domine, animum mundum et purum, pium, humilem, devotum. Munda me ab omnibus carnalibus desideriis, ab omnibus terrenis cupiditatibus. Extolle mentem meam ad te, qui in coelis habitas; ingere mihi eam mentem, quae a terrenis se avocet et te supra omnia amet, quae virtutes amplectatur et vitia aversetur. Converte me Domine totum ad te et effice hoc tua gratia, quod mea non potest natura. Libera me et integrum conserva ab omni peccato. Rege et dispone sensus omnes meos interiores et exteriores, atque etiam omnes animae meae vires secundum beneplacitum tuum tempera. Custodi me ab omni iniquo et pravo opere, ab omni mala

cogitatione, ab omni proposito impio, ab omni consensu peccati, ab omnibus, quae voluntati tuae repugnent. Fac, ut te unum supra omnia diligam, nihil gaudeam, nihil expetam, quod tibi sit contrarium. Da, ut a puero in hoc saeculo sic vivam, ut vitae meae extremo tempore purus inveniar neve in horrendam reprehensionem incurram, sed mundus appaream et ab angelo meo custode in patriam coelestem perducar. Amen.

Ad Offertorium.

Domine Jesu Christe, fili Dei vivi! in memoriam et laudem immensae caritatis tuae, qua te nobis totum in altaris cruce impendisti: ecce hoc Missae sacrificium sicut et alia omnia, quae ubicunque terrarum a Sacerdotibus celebrantur, offero tibi reprae-

sentanda Patri tuo, in unione illius oblationis, qua ipse in cruce moriens sacrosanctum corpus et sanguinem tuum pro mundi salute obtulisti.

Fac, ut ejusdem corporis et sanguinis oblatio, quae per mysterium hic renovatur et incruento modo sub specie panis et vini peragitur, fructum suum mihi et omnibus obtineat, ut nos omnes gratiam, fidelium defunctorum animae requiem et hi, pro quibus sacrificium offertur, misericordiam ac vitam consequantur aeternam.

Sit quoque hoc Sacrificium, quod fructum passionis et mortis tuae in se continet, pro innumerabilibus beneficiis tuis mihi et omnibus collatis gratiarum actio, pro infinitis peccatis et negligentiis poenisque promeritis propitiatio et satisfactio salutaris.

Suscipe etiam, o Jesu benignis-

sime, omnia mea opera in unione caritatis illius, qua salutem nostram operatus es in terris, et dirige clementer omnia ad tuum honorem et meam salutem, ut in omnibus, quae mihi de manu tua contigerint, me ipsum ad beneplacitum tuum semper offeram, in omnibus tibi gratias agam et nunquam a te separari possim.

Ad Praefationem.

Gratias tibi ago, misericordissime amator hominum Jesu Christe, qui meam miseram assumpseris naturam et peccata mea portaveris in corpore tuo super lignum, qui tam ineffabiliter amaveris me, ut morti te tradideris propter me! O caritas inaestimabilis! Tu Deus altissimi Filius, ut servum redimeres, animam posuisti tuam pro inimicis; tu pro impiis possus es et

quidem ea cum humilitate et mansuetudine, ut nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima, quae tibi objiciebantur, crimina responderis. Visus es tanquam leprosus et hominum abjectissimus, vir dolorum; sputis illitus es, o Christe Jesu, opprobriis saturatus, morte turpissima condemnatus, in sceleratis positus es, et factus obediens usque ad mortem tradidisti spiritum et quidem omnia passus es pro me! Reddam tibi, Domine, quod possum et habeo, totam animam, totum corpus, totam substantiam meam in sacrificium laudis et gratiarum actionis! Reddam tibi aeternum illud Allelujah, quod tibi canunt Angeli et Archangeli, Cherubim ac Seraphim! Cum quibus et meam vocem ut conjungere mihi liceat, precor, supplici confessione dicentis: Sanctus, Sanctus, Sanctus,

Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria tua! Hosanna in excelsis! Benedictus, qui venit in nomine Domini! Hosanna in excelsis!

Sub Canone.

Exaudi me misericors Deus pro parentibus meis, magistris et benefactoribus ad te clamantem, ut protegas eos atque ab omni malo defendas et in via salutis eos dirigas! Omnium miserere Domine, qui mihi aliquid beneficii vel benevolentiae impenderunt, sive bona temporalia largiti sunt, sive spiritualia, eisque tu Deus, remunerator omnium bonorum retribuere dignare pro parvis magna, pro terrenis praemia sempiterna! Omnibus nobis da tui timorem pariter ac amorem et reple corda nostra omni virtute, ut in vocatione nostra omnes tibi pariter et

fideliter serviamus neve patiamur detrimentum animae nostrae. Provide nobis, Domine, necessaria cuncta et adjuva nos, ut in omnibus sic voluntatem tuam faciamus, ut mereamur semper habere te Patrem et protectorem!

Haec tibi supplico per Sacrificium Corporis et Sanguinis, quod Jesus Christus Filius tuus in ultima coena et in ara crucis tibi obtulit, et per merita et intercessionem omnium Sanctorum, quorum consortium impertiri dignare universo populo tuo christiano, quem redemit idem Dominus noster Jesus Christus, denuo sese tibi offerens per manus sacerdotis! —

Ad Elevationem SS. Corporis Jesu Christi.

Ave viva et vera caro, Deitas in-

tegra et verus homo, corpus Domini nostri Jesu Christi: Tu Rex, qui me creasti et redemisti, miserere mei!

Ad Elevationem SS. Sanguinis Jesu Christi.

Ave Sanguis Jesu Christi in hoc sacro calice, qui in cruce profluxisti ex aperto latere! Ablue, sanctifica et custodi animam meam; propter amorem tuum miserere mei!

Post Elevationem..

Adoro te devote, latens Deitas
Quae sub his figuris vere latitas!
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, gustus, tactus in te fallitur:
Sed auditu solo tuto creditur,
Credo, quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola Deitas;
At hic latet simul et humanitas.
Ambo tamen credens atquĕ confitens,
Peto, quod petivit latro poenitens.

Plagas, sicut Thomas, non intueor;
Deum tamen meum te confiteor!
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.

O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam praestans homini!
Praesta meae menti de te vivere
Et te illi semper dulce sapere.

Pie Pelicane, Jesu Domine!
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere!

Jesu, quem velatum nunc adspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio:

Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae!

Tu, Domine Jesu Christe, hostiam vivam repraesentas te Patri, ut eum mihi reddas placatum et reconciliatum: per te fore, ut mihi condonet delicta omnia et dies vitae meae perditos, per te fore, ut gratiam inveniam radicitus me immutandi spero! Pater aeterne, per ejusdem Filii tui vitam innocentissimam et mortem amarissimam suscipe hanc oblationem; exaudi et respice me benigne et ab omni peccato purum et immaculatum me redde! Exaudi me Pater per Jesum Christum, Salvatorem nostrum unicum et miserere mei!

Memento etiam eorum Domine, qui in spe resurrectionis ad vitam aeternam dormiunt, parentum, propinquorum, benefactorum et amicorum

meorum; insuper omnium, quotquot in fide pietateque defuncti sunt; indulge illis omne delictum, sive voluntarium, sive involuntarium; largire illis habitaculum in locis lucidis et refrigerii, ubi abest omnis dolor, tristitia et gemitus, ubi visio vultus tui laetificat omnes sanctos tuos in aeternum. Dona illis Domine, participationem bonorum tuorum nec non infinitae beataeque vitae fruitionem. Tu enim es vita, resurrectio et refectio dormientium servorum tuorum, o Christe, Deus noster, regnans in saecula!

Ad Pater noster.

O Pater misericordiarum, etsi indignus, qui servus tuus dicar, audeo te Patrem meum, me filium dicere tuum, qui bonitate tua immensa me in

hujus nominis honorem adoptavit. Et ipse Filius tuus tui compellandi fiduciam mihi dedit, quod precandi formulam praescripsit. Agnosce ergo dilectissimi Filii tui, quam nos docuit: orationem et largire propitius per eundem Filium tuum, quidquid per Eum, ab Ipso edocti, a te petimus, dicentes:

Pater noster, qui es in coelis! Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen.

Tolle a me, Domine Jesu, malum maximum, i. e. peccatum! Aufer a me, Agnus Dei immaculatus, peccata et iniquitates meas, ut remissis pecca-

tis pacem tecum habeam, quae in testimonio conscientiae meae consistit, ut in coelestibus regnis pacem illam, quae exsuperat omnem sensum et intellectum, perpetuam consequar.

Ad Communionem.

Ecce adsto pauper et inops ad mensam magni regis et amantissimi Patris mei tuam, et credo tibi, o aeterna veritas, te vere ad verbum sacerdotis ex summis coelis mei visitandi causa venire dignatum esse! Verumtamen conscius infirmitatis meae et peccatorum meorum non audeo sacramentaliter te suscipere, sed dico cum Centurione, cujus servum absens sanasti: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum die verbo, et sanabitur anima mea. Munda, quaeso, illam ab omnibus malis et imperfectionibus, exorna eam

bonis et virtutibus, pasce eam Corpore et Sanguine tuo, ut adipe et pinguedine coelestis benedictionis repleatur.

Veni igitur ad me, Domine, et sana animam meam peccatricem, ciba esurientem, refice imbecillem. Tu, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, mundum per mortem tuam vivificasti: vivifica me, pasce me, sanctifica me hoc sacrosancto Corpore et Sanguine tuo: libera me ab omni peccato, fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te nunquam me permittas separari.

Post Communionem.

Obsecro te, dulcissime Jesu Christe! per virtutem sanctissimi Corporis et Sanguinis tui, concede mihi veram peccatorum poenitentiam, amoris tui

dulcedinem, fraternae dilectionis sinceritatem, in tentatione fortitudinem, in anima puritatem et in moribus aedificationem, ut sic vocationi meae satis faciam, in tuo amore proficiam, et in tuo servitio perseverem.

Ad finem.

Ecce, Pater aeterne, missa jam est salutis hostia, quam tu de coelis misisti in terram. Placeat tibi, quaeso, quia hic est ipse Filius tuus, in quo tibi bene complacuit. Agat nunc quaeso, munus Mediatoris et Advocati, ubi sedet ad dexteram tuam, et interpellat pro nobis. Memento omnis patientiae, caritatis et mansuetudinis ejus! Dignare me exaudire in nomine dilecti Filii tui orantem, qui ipse dixit: „Si quid petieritis Patrem in meo nomine, dabit vobis.“ Hoc unum peto, Do-

mine, placeat tibi hoc sacrificium, ad majorem nominis tui gloriam, prosit mihi et omnibus fidelibus tuis vivis atque defunctis ad salutem. Amen.

8. Missa ex Missali Romano.

Initium Missae.

Sacerdos: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen. Introibo ad altare Dei.

Minister: Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo,

omnibus Sanctis et vobis, fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

Minister repetit confessionem, et ubi a sacerdote dicebatur: vobis, fratres: ***et:*** vos fratres, ***a Ministro dicitur:*** tibi, pater, ***et:*** te, pater.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus, tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua laetabitur in te.

S. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine, exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum Spiritu tuo.

S. *Oremus*. Aufer a nobis, quaesumus, Domine, iniquitatcs nostras, ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Introitus.

Salus populi ego sum, dicit Dominus: de quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, et ero illorum Dominus in perpetuum.

Psalm. Attendite, popule meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

S. Kyrie eleison!

M. Kyrie eleison!

S. Kyrie eleison!

M. Christe eleison!

S. Christe eleison!
M. Christe eleison!
S. Kyrie eleison!
M. Kyrie eleison!
S. Kyrie eleison!

Gloria.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine, Fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu

solus altissimus Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris, Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

Epistola
beati Pauli Apostoli ad Timotheum.

Carissime, sectare justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam,

mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in qua vocatus es et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens. Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitem et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, cui honor et imperium sempiternum. Amen.

M. Deo gratias.

G r a d u a l e. Si ambulem in medio umbrae mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine.

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Alleluja. Alleluja.

In te Domine, speravi, non confundar in aeternum; in justitia tua libera me et eripe me; inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eripias me. Alleluja.

Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito, ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nunciare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Jube Domine benedicere: Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

M. Gloria tibi Domine.

Evangelium.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem: numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum petentibus se.

M. Laus tibi Christe.

S. Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Credo.

Credo in unum Deum. Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos, cujus

regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Offertorium. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me; Domine, et super iram inimicorum meorum extendes manum tuam, et salvum me faci et dextera tua.

Suscipe, sancte Pater, omnipo-

tens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti, da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes cle-

mentiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Veni, sanctificator, omnipotens, aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Lotio manuum.

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me et miserere mei.

Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis et Ascensionis Jesu Christi, Domini nostri, et in honorem beatae Mariae semper Virginis et beati Joannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et

Pauli et istorum et omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

S. Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

M. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostrum totiusque Ecclesiae suae sanctae.

S. Amen.

Secreta.

Purificet nos, Domine, quaesumus, muneris praesentis oblatio, et dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium

tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Praefatio.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sursum corda.

M. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo nostro.

M. Dignum est justum est.

S. Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: Coeli coelorumque virtutes ac beata

Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus, Sabaoth.

Pleni sunt coeli et terra gloria tua.

Hosanna in excelsis.

Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Hosanna in excelsis.

Canon.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata. In primis, quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, cu-

stodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo, Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis atque Catholicae et Apostolicae fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae genitricis Dei, et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuo-

rum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, benedictam, ad-

scriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibique gratias agens, benedixit, fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes:

Hoc est enim Corpus meum,

Simili modo postquam coenatum est accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens benedixit deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes: Hic est enim Calix sanguinis mei

novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Haec quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.*

Unde et memores, Domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis: offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis: Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, Panem sanctum vitae aeternae et Calicem salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel et sacri-

ficium Pattiarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinae majestatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per

eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia et omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et praestas nobis. Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. *Oremus.* Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

M. Sed libera nos a malo.

S. Amen.

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et om-

nibus Sanctis da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti et a peccato simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Pax Domini sit semper vobiscum.

M. Et cum Spiritu tuo.

Haec commixtio et consecratio Corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: Qui vivis et regnas, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.

Communio.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur anima mea. *(Ter repetitur.)*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi! Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura ac sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti, haec me consolata est in humilitate mea.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Praesta, quaesumus, Domine, ut terrenis affectibus expiati ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta, tendamus. Per Dominnm nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculornm. Amen.

S. Dominus vobiscum.
M. Et cum Spiritu tuo.
S. Ite missa est.
M. Deo gratias.

Gratiarum actio.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae et praesta, ut sacrificium quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile mi-

hique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio.

S. Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius et Spiritus sanctus.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum Spiritu tuo.

S. Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

M. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eum non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo,

cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

M. Deo gratias. —

Preces ad confessionem sacramentalem.

Poenitentiae tres sunt partes necessariae: contritio sive dolor animi, peccata sua detestantis et ad meliorem vitam nitentis; confessio seu peccatorum coram sacerdote facta explicatio; denique satisfactio seu vindicta punitioque criminum in se ipsum exercita, ad praestandos dignos emendationis fructus.

Ante examen conscientiae.

O sancte Deus! qui semper paratus es, peccatores recipere iisque parcere, misericors intuere animam meam miseram ad te rursus redeuntem, postquam te tam multis magnis-

que delictis offendit. Da mihi praeparationem huic rei convenientem, illumina mentem meam, ut omnia et singula intelligam peccata, praepara animam meam, ut peccatorum me poenitere possit et dirige linguam, ut omnia recte confitear et veniae fiam particeps.

Sancta Maria, Mater gratiae et peccatorum refugium, ora pro me, ut confessione rite peracta veniam consequar ac gratiam emendandi vitam meam!

Examina hic, qualis hucusque ex novissima confessione fueris cogitatione, verbo, opere, erga Deum, te ipsum et proximum:

Num tot et tanta gratiae divinae bona, parentum et magistrorum monita non neglexeris, num vocationi

tuae i. e. literarum tractationi convenienter vixeris?

Num humilis et devotus fueris in aede sacra, attentus et modestus in schola, diligens domi, verecundus foris, humanus, mansuetus, benevolus erga alios?

Num veritatis et pacis amans fueris?

Num fugeris proxima peccandi pericula, mala consortia, pravos discipulos et omnes innocentiae tuae impugnantes occasiones?

An forte gavisus sis pravis depravatorum sodalium sermonibus, exemplis et hortationibus?

An obscoenos libros legeris, periculosis imaginibus delectatus sis?

An ipse auctor fueris (quod absit) aliorum proterviis flagitiisque?

Haec et alia ne celaveris sacerdotem Dei loco fungentem et quidem singula confitere gravia secundum circumstantias aggravantes et numerum! Ne te pudeat confiteri ea, quae committere non erubuisti! Antequam confitearis, a Deo veniam petes:

Ad pedes tuos, Jesu Crucifixe, animo prostratus et corpore, plenus quidem iniquitatum, quae me praesente te confundunt, sed plenus etiam bonae voluntatis, sanctoque spe misericordiae tuae respersus, quae me recreat et consolatur, accedo, vulnera mea omnia tibi, o medice coelestis, qui omnia sanare potes, detego, quorum tamen sanitatem tuorum virtute vulnerum tibi supplico. Hactenus hoc unum fuit studium meum, carnem hanc peccatricem et vilem omni deliciarum ge-

nere satiare, omnia experiri solatia, quae mundus mihi dare poterat, ita ut iniquitatem biberim sicut aquam et ad omnia mundi oblectamenta, quo potui animi impetu, cucurrerim, melle solo, quo exterius delibuta videbantur, contentus, non attendens venenum, quod intus latebat. Sic umbras hujus mundi avide nimis insecutus sum, ac si in iis mea omnis constituta esset felicitas finisque meus! Ecce ante te igitur, Jesu Domine, provolutus, qui tuus hactenus proditor fui et hostis ingratissimus omnemque juventutis meae florem vanitatibus et peccatis consumpsi, tibi Domino et Deo meo totum me devoveo et offero, renuntians peccatis omnibus eorumque illecebris, tibique soli inde ab hoc tempore militare et servire desidero. Ecce anima mea infelix et misera, quae se ipsa

perdere obstinate voluit et te continuo offendit! Sed ubi abundavit delictum, superabundabit et gratia! In pretiosi Sanguinis tui balneo totus, mi Jesu, lavabor et immergar, vulneribus tuis cooperientur omnia peccata mea et meritis tuae caritatis supplebuntur omnia delicta mea et reparetur vita mea deperdita!

Tu, qui neminem a te repellis, me refice! Inter brachia tua tam amanter mihi extensa, me suscipe! Doleo enim, quod te summum bonum, adeo offendi, quod sic tempus a te mihi ad vitam aeternam promerendam concessum, scienter per peccata consumsi, illudque omnino non expendi ad te amandum tibique obsequendum, sicut debui!

Sed nunc, misericordissime Deus, immuta, obsecro, mihi animum, converte voluntatem meam, converte ad

te vitam meam! Non revertar amplius ad vias meas malas, Domine, quum cognoverim, quam amarum sit servire diabolo, servire vitiis, servire mundo et carni. Tu, Domine Jesu, confirma hoc, quod operatus es in me, ut jugo peccati excusso suscipiam jugum sanctitatis suavissimum! Ne voluntatem meam asperneris, o bone Jesu, qui salutem meam quoque sitis semper et desideras, accipe promptum tibi serviendo animum meum; concede gratiam, ut ablutus et renovatus sacramento poenitentiae mihi in propositis meis constare possim.

O sancta Mater Dei Maria, sancte angele Dei, qui mei custodiam a Domino suscepisti, et omnes coelites: orate pro me peccatore apud Dominum, ut vestris precibus et meritis vox mea Domino probetur!

Jam vadam et aperiam occulta animae meae coram sacerdote, Dei vicario. —

Post Confessionem.

Gratiarum actio.

Confessus sum adversum me injustitiam meam Domino et tu remisisti impietatem peccati mei. Dirupisti vincula mea et convertisti planctum meum in gaudium mihi.

Benedic anima mea Domino et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus meis, qui sanat omnes infirmitates meas.

Qui redimit de interitu vitam me-

am, qui coronat me in misericordia et miserationibus.

Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors.

Non secundum peccata mea fecit mihi, neque secundum iniquitates meas retribuit mihi.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri et Filio etc.

Gratias tibi ago, benignissime Jesu, quod me indignum peccatorem ad poenitentiam vocavisti, veniam et indul-

gentiam mihi clementer concessisti! Ab hoc tempore te semper amabo et, quantum potero, studio meo et honestate, integra obedientia et perpetua tui memoria compensabo ea, quae hucusque neglexi et amisi. Tu Domine omnia scis, scis etiam, qua sim voluntate et quanti mea intersit, ut sancta fiat vita mea! Sed imbecillitati meae succurre, subveni mihi misero pugnanti contra tentationes et peccatorum illecebras; exorna me viribus, quibus utar ad obtinendum coelorum regnum; extolle mentem meam, ut ea quaeram, quae sursum sunt, ea sapiam, quae ad te pertineant; dona mihi, o Fons, qui exhauriri non potest, omnium bonorum abundantiam inprimis perseverantiam vitae emendatae, ut in perpetuum tibi serviam, te delecter, te fruar. Amen.

Oblatio.

Suscipe, Domine, hanc peractam confessionem meam et quidquid defuit ad plenam et sinceram enumerationem meorum peccatorum et debitum dolorem, tu ex fonte misericordiae tuae ac thesauro passionis tuae benigne supplere digneris meque perfecte absolutum habere in coelis, et praesta auxilium gratiae tuae, ut peccata devitem et fidelius tibi serviam intercedente gloriosa Virgine Maria et omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt ab initio mundi. Juravi et statui, custodire judicia justitiae tuae, te adjuvante, qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad Spiritum Sanctum.

O sancte Spiritus, miserator peccatorum et consolator afflictorum! tibi

gratias ago, quod meritorum Jesu Christi in s. poenitentiae sacramento me participem fecisti, quod conscientiam meam sanasti et animam meam reddidisti tuae majestatis habitaculum. Per amorem tuum, quem iterum effudisti in animam meam, peto oroque, ut me totum, animam et corpus impleas et sanctifices, ut mihi des robur ad impugnationes diaboli, qui sine dubio contra me denuo exsistet, superandas, ad evitandum relapsum peccatorum, quorum culpam confessus sum coram sacerdote. Firmiter propono, hanc occasionem . . . . . . fugere; etenim qui periculum amat, peribit in illo et qui occasionem peccandi non fugit, et peccatum non abhorret. Tu vero adjuva me, conforta me, dirige me, consilio tuo divino, timore Dei et amore. Fac, ut in dies crescam sanc-

titate et innocentia tuoque amore et praesidio in dies dignior evadam, qui vivis et regnas cum Deo Patre et Filio in saecula. Amen.

Preces ad s. Communionem.

Nullum sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur.

S. Thomas Aquin.

Praeparatio ad s. Communionem.

Unigenite Patris aeterni, dulcissime Domine Jesu Christe, qui ad salvandum genus humanum ardenti caritate inflammatus in hunc mundum venire dignatus es et nunc ineffabili pietate te ipsum nobis miseris et peccatoribus praebes cibum, reconciliatorem et medicum animaeque nostrae domicilium et habitationem non dedi-

gnaris aut abhorres, quia deliciae tuae sunt esse cum filiis hominum: O quis ego sum, homo peccati et servus inutilis, ut me visitare licet toties a me offenso tibi cordi sit et a me vili et immundo sumi et manducari non refugias? Tu Verbum, Sapientia, Gloria Patris, qui pro mea redemtione crucis supplicium subiisti, Deus es et Dominus meus, tu salus et illuminatio mea, tu protector vitae meae et misericordia mea; tu Rex regum et Dominus dominantium, in quem credo, in quo spero, quem diligo: et talis et tantus me ad te invitas, fructum mihi multiplicem ex te pollicens! O Deus et Salvator, illumina me, ut sciam et attendam, quanta cum puritate et reverentia te Creatorem nostrum et Redemptorem suscipere deceat, tuaque gratia me praeveni et subsequere, ut

cum te suscipio, suscipiar et ego vicissim a te! Aperi mihi, Jesu piissime, ostium misericordiae tuae, qui latroni in cruce Paradisi introitum promisisti. Introduc me per sacratissimum vulnus lateris tui in medium tuum pectus, ibi de fonte sapientiae tuae pota me, in te claude et absconde me, ut per hoc saluberrimum sacramentum propinquius et intimius tecum conjungar ejusque virtute et gratia ad beneplacitum tuum crescam in omnibus virtutibus!

O Deus misericors, me quaeso fragilem et ad omne malum proclivem, effectibus hujus Sacramenti corrobora, ut stabilitus in gratia tua, tibi semper adhaeream, tibi deserviam et tuo magis magisque inflammer amore! Hactenus heu! carnalia et caduca tuo, Christe Jesu! praeposui amori et ut

impiissimus proditor facili occasione vel levi tentatione te cupiditatibus meis vili nimis pretio vendidi! At vero in posterum non sic, Domine. Miserere mei, ne amplius tanta maculer iniquitate neve dicant hostes mei crudeles: „Praevaluimus adversus eum“ — ne de meis excessibus glorientur, qui semper invigilant, ut me devorent et perdant; ne sanctos Angelos tuos amplius contristem peccando, sed eos laetificem poenitentia et conversione mea. Illumina me et corrobora me Christe, ut, quidquid tuam sanctitatem et majestatem offendit, perfecte cognoscam, diligenter caveam, neque solum peccata, sed etiam peccandi occasiones sollicite declinem!

Tali igitur intentione ad te, Domine, venio! Ecce in te est totum, quod desiderare possum et debeo, tu

salus mea et redemptio, spes et fortitudo, decus et gloria. Laetifica ergo hodie animam pueri tui, quoniam ad te animam meam levavi, teque nunc devote et reverenter suscipere desidero! Anima mea, Domine Jesu, corpus tuum concupiscit, tecum uniri desiderat. Trade te mihi et sufficit, nam praeter te nulla consolatio valet, sine te esse nequeo. Aeger sum et infirmus, saepissime labor et pecco, cito torpesco et deficio! Tu vero es in hoc sanctissimo Sacramento remedium infirmitatis meae et consolatio animae meae!

Praeveni puerum tuum, Domine, benedictione tua, ut ad tuum magnificum Sacramentum digne possim accedere. Excita ànimum meum et omnem torporem exuere me permitte. Visita me in hoc Sanctuario tuo, ad gustandam in spiritu tuam suavitatem!

Domine, in simplicitate mentis et tuo jussu firma fide, spe et caritate ad te accedo, vere te praesentem in hoc Sacramento Deum et hominem! Si ergo vis, ut te suscipiam et me ipsum tibi caritate uniam, hanc mihi confer gratiam, ut totus in te liquefiam et amore perfluam! Tange me, Domine, et immuta me, ut qui aridum, anxium et sine magna affectione me sentio, post refectionem cibi hujus coelestis in melius me mutatum inveniam, et qui ex meipso frigidus sum, durus ac indevotus, ex te fervens, alacer et devotus evadam!

Veni ergo, Domine Jesu, unica salus animae meae! Veni gaudium et felicitas mea! Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere mei!

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tan-

tum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Post s. Communionem.

Amor aeterne, Jesu Crucifixe, bonitas infinita, jam te teneo, jam te sentio, te amplector! Unde hoc mihi, ut veniat Dominus coeli et terrae ad me? — Adoro te, rex meus et Deus meus, glorifico te Creator, glorifico te Redemptor, tibi me devoveo et designor, tibi vitam omnem committo, qui mihi es et Pater et Frater et Omnia; in manus tuas me trado, redemisti me Domine, Deus meus. Tibi laus, tibi honor et adoratio in saecula.

Purificet me virtus et praesentia tua, Christe, amor dulcissime, ut ibi nulla remaneat amplius peccati macula, quo tam purum intravit Sacramentum, et ut, qui in futurae gloriae

pignus hodie sub speciebus Sacramenti te verum Deum meum suscepi, aliquando post hoc exilium aspiciam te sine velamento!

Gratias tibi ago Deus, gratias tibi ago, vera vita viventium, spes aeterna credentium! Jesu Christe, Redemptor alme, qui facis mirabilia magna solus, qui misericordia et affectu paterno motus ad nos pauperes et orphanos consolandos antequam patereris: „*Desiderio,* dixisti, *desideravi, hoc Pascha manducare vobiscum,*" et in memoriam dilectionis tuae, simul et in nostrae salutis pignus cibum nobis admirabili modo te Ipsum dedisti! Et haec sunt mysteria Angelis etiam tremenda et adoranda, haec sunt amoris vincula, quibus nos miseros et indignos tecum conjungere dignatus es! O Patris Sapientia, qui de Virgine

Maria nasci dignatus es et nunc non es dedignatus, venerabile corpus tuum a me tam indigno peccatore sumi! Quid tibi digne reddam pro tanto dono, tanto amore, tam ineffabili misericordia? Si enim totius mundi opes in unum essent congestae, non essent dignae, quae tuae majestati aliquatenus compararentur, nedum responderent. Gratias ergo pro fragilitate mea ago, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, Rex regum et Dominus dominantium, quod sacrosancto Corpore et Sanguine tuo meam animam nimis aridam tam suaviter ac misericorditer refecisti, immensamque misericordiae largitatem suppliciter nunc exoro, ut hoc summae caritatis et unionis sacramentum mihi contra peccatorum omnium efficacissimum medicamentum ac omnis virtutis et gratiae complementum

sit, contra tentationes omnes et animae meae pericula validissimum tutamentum! Et concede mihi, amantissime Jesu, ut per virtutem hujus sanctissimi Sacramenti, quidquid impurum in me, carnale, vitiosum aut tuae voluntati contrarium invenitur, consumatur penitus et eradicetur! Utinam induam novum hominem secundum te, confirmatum omni virtute et opere bono, utinam praeparetur anima mea in Spiritus Sancti mundum et conveniens habitaculum.

Sit, o dulcissime Jesu, Sacramentum hoc Corporis et Sanguinis tui pax et requies animae meae, sit malarum in me passionum repressio et victoria, sit contritionis, humilitatis, castitatis et caritatis infusio, sit mihi perseverantia omnis virtutis, sit mihi felix in te consummatio, sit ad aeternam

vitam claramque tui visionem optata perductio. Amen.

Ave sanctissimum Domini mei Jesu Christi corpus! Te supplex adoro, te confiteor, te tota anima diligo! O Manna dulcissimum, accende tuam in me caritatem, vitia extingue, virtutes infunde, gratiam adauge, mentisque et corporis mihi tribue salutem! Inclina te ad me et mane mecum! O venerabile Sacramentum, per te, quaeso, omnes animae meae hostes repellantur, omnia mala expellantur, peccata dimittantur; bonum et constans mihi propositum tribue, sapientiam et scientiam mihi infunde, pravos in me corrige mores et actus meos omnes secundum tuam voluntatem dispone! Intellectus meus novo nunc lumine illustretur, affectus inflammetur, spes roboretur, vita mea in melius emendata proficiat

et beatus tandem conferatur exitus. Amen.

Domine Jesu Christe, tu nosti nihil in me salutari visitatione tua dignum, quoniam, quamvis immaturus annis, peccator sum maximus, cui juste damnatio accidat aeterna, nec meriti quicquam in me est, quo fretus preces meas ad te facere multoque minus te suscipere audeam: et tamen placuit immensae tuae pietati ad me se demittere, nec mea vnlnera abhorruisti, pro quibus sanandis in mundum jam veneras et, in cruce mori non recusaveras. O Creator et Redemptor! ut tua in me bonitas et pietas magis clauresceret, tu sic venisti ad me, et meam non dedignatus es miseriam! Noli sperantem in te condemnare, sed pone crucem et passionem tuam inter judicium tuum et animam meam, ut, cum

ante tribunal tuum praesentatus fuero, non mea culpa, non peccaminosa mea vita plectatur, sed meritis et miserationibus tuis condonetur, quidquid inique gessi contra te, ut non pereat opus manuum tuarum, quod tanto comparasti labore et tam caro redemisti pretio! Restaura mihi in te omnem vitae meae magnam nimis deperditionem et benignus animae meae ad te suspirantis exaudi clamorem. Remove de cetero cordis mei duritiem a me, lapideumque meum cor in carneum et molle juxta fidele tuum promissum commuta, ut sentiam et gustem quam suavis sit spiritus tuus in me; omnem extraneum et tibi contrarium amorem excludat tua dilectio, ut nihil animae meae sapiat praeter te, dulcissimum solatium meum, neve unquam ab anima mea, fugatus peccatis, discedas!

Tibi semper adhaerebo quamdiu vivam; tecum semper uniri volo hic terrarum, ut aliquando facie ad faciem te contemplari merear! Domine Jesu, quem anima recepi, praesta, quod oro! Sancta Maria, ora pro me, et vos, SS. Angeli et Patroni mei! Amen.

Orationes aliae ante confessionem sacramentalem et post adhibendae.

Praeparatio et S. Spiritus invocatio.

O mi amantissime Deus! ecce ego ingratus homo, peccator maximus et omnium creaturarum tuarum peripsema, cum humilitate tanta, quanta possum, cum plena fiducia erga immensam bonitatem et clementiam tuam redeo ad te, nihil mecum offerens nisi peccatorum sarcinam, et quaero te amicum, quem ipse inimicum feci: quia, proh dolor! denuo multipliciter deliqui et post tot casus rursus cecidi animamque meam omnibus sordibus inquinavi! Domine, in imperfectiones illas et peccata, quae cavenda mihi

sciebam, ne tibi displicerem, mihi ipse nocerem, iterum relapsus sum: Majestatem tuam, o mi Deus, iterum offendi, gratiam tuam minui, imo fortasse coelum perdidi et me ipsum condemnavi. O quoties et quanta me facturum firmiter proponebam mibi et spondebam, et omnia proposita in oblivionem evanuerunt! Merito igitur ex corde doleo, me toties ploranda commisisse et Deum Creatorem meum toties offendisse: imo vel hoc ipsum doleo, quod non magis doleo nec satis (ut par est) meam sentio miseriam.

Sed, o Christe Jesu, Salvator mundi, qui omnes peccatores clementer invitas et non vis mortem eorum sed magis ut convertantur et vivant, eosque benigne suscipis, foves ac reficis; qui amore ductus ad consolationem omnium peccatorum Sacramentum poeni-

tentiae instituisti, ut ejus virtute ab iniquitatibus suis mundari amissamque gratiam tuam recuperare possint: ad te ego peccator miserrimus et infelix revertor atque cum firmissima spe et fiducia remissionis peccatorum meorum hoc praeclarum Sacramentum recipiam. Et quoniam hoc sine gratia tua digne peragere non possum, instanter tibi supplico, ut inprimis mentis meae illumines tenebras emittasque veritatem et gratiam in animam meam agnoscendi, detestandi et compensandi omnia peccata mea, defectus, negligentias et ingratitudines, quibus ab proxima confessione oculos tuae majestatis divinae offendi.

Veni, o lux vera, veni sancte Spiritus et emitte coelitus lucis tuae radios, ut videam et sciam, quid desit mihi et quidquid cogitando, loquendo

vel operando deliqui, idque cum amaritudine animae meae recogitem et confitear.

O sancte Angele Dei, qui custos es mei, qui nosti intimos recessus animae meae, tu mihi in memoriam revoca omnia, quibus Deum meum, summum bonum offendi.

Hic fiat examen conscientiae, ut habes supra, quo peracto perge:

O bone Jesu, Salvator et Redemptor meus! Ecce plorans ploro super iniquitate mea et dolor est mihi in anima, quod te, summum bonum, tam saepe, tam graviter offendi. Doleo de his et omnibus aliis peccatis meis propter te, quia te, mi Jesu, offendi! Utinam hic dolor meus procederet ex summo illo et purissimo amore, qui unquam vel ss. Petri vel Augustini vel Magdalenae vel alius vere et sincere

poenitentis animam perculit! O mi pulcherrime, o mi piissime, o mi summe et optime Jesu, Dominus et Deus meus, poenitet me, contristor et conturbor, non quod poenas inferni promerui (quas et credo et timeo) nec quod coelesti gloria qui excidam dignum me reddidi, sed solum amore tui, quod te offendi, o Jesu, qui bonus es super omne bonum, pulcher super omne pulchrum, amandus prae omnibus Deus, quem amo et amabo super omnia in aeternum. O Jesu, Jesu, miserere mei et propitius esto mihi maximo peccatori!

Respice me, pie Jesu, sicut poenitentem Magdalenam et Petrum respexisti. Parce mihi, Jesu, quia pepercisti publicano poenitenti et latroni in cruce pendenti. Exaudi me miserum peccatorem invocantem nomen

sanctum tuum et misericordiam supplicantem, pro quo apud Patrem tuum vox Sanguinis tui interpellat. Firmiter statuo, universa peccata et imperfectiones fugere, et ea, quae contra immensam bonitatem tuam commisi, confiteri, et quidem de omnibus et singulis, in quantum quidem memoriae meae occurrere potuerant, summâ cum humilitate animique contritione coram sacerdote personam tuam gerente me accusare. Illa vero, quorum memoria mihi excidit, huic sacrae confessioni inclusa velim eoque tibi Pontifici maximo, cujus notitiam nulla res effugit, confiteor; ac coram tota coelesti Curia me perfidum et crimine laesae majestatis reum me profiteor.

O salvator amantissime! in vulnera sancta tua projicio omnia peccata mea, ut ibidem ad nihilum redigantur:

et quidquid mihi nunc deest de sufficientia contritionis, suppleat pietas et misericordia tua. Recordare, quaeso, illius immensae caritatis, qua te pro nobis in cruce sponte obtulisti et pretiosi Sanguinis tui effusione tam abundanter exsolvisti pretium salutis nostrae et expiasti peccata mundi. Per virtutem et merita sanctissimae vitae tuae et amarissimae mortis tibi supplico, ut mihi peccatorum veniam tribuas, nec non gratiam, praesentes et futuras tentationes superandi, viam crucis et poenitentiae ambulandi et in bonis operibus usque ad finem perseverandi.

Et tu, o clementissima Virgo, Jesu Christi Mater dilectissima, intercede pro me apud eundem Filium tuum et impetra mihi gratiam, ut ad animae meae utilitatem et vero cum dolore

hanc confessionem instituam. Impetra mihi plenam peccatorum remissionem et perfectam vitae emendationem! Amen.

Eandem a te gratiam submisse peto, o sancte Angele custos, et a vobis, o sancti patroni mei! Sancte Petre, sancta Maria Magdalena et omnes Sancti et Sanctae Dei! intercedite pro me peccatore de peccatis poenitentiam agente jamque ea confiteri et emendare volente. Amen.

Ecce, Domine Deus meus, scrutator animarum, nunc ego omnium peccatorum miserrimus venio ad te, superfluentem abyssum pietatis, ut miserearis peccatricis animae meae ejusque vincula solvas et vulnera sanes: da contritionem et lacrymarum fontem oculis meis, ut cum humilitate et puritate animae omnes iniquitates et

negligentias digne defleam et integre aperiam, fructuque sacratissimae passionis Christi reviviscat anima mea in vitam aeternam. Amen.

Post confessionem.

Omnipotens et misericors Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus: unde mihi tam vili terrae vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingrato servo tanta miseratio tantae benignitatis, tanta dignatio tantae majestatis, tanta dilectio tantae caritatis, ut me toties a te longe aberrantem oculis misericordiae tuae respicere, erroneum reducere, coecum illuminare, lapsum erigere, vinculis daemonis captum eripere et ad pacis tuae osculum admittere per hoc sacrum poenitentiae Sacramentum dignatus sis? Ago tibi gra-

tias ex tota anima mea, o piissime Domine, pro exuberantissima bonitate tua, quam ostendisti indulgendo mihi peccata mea et gratiam retribuendo. Sed eheu! quam parum ego te infinito amore et honore dignissimum redamavi! quoties te tam graviter offendi. Agnosco et detestor peccata et ingratitudinem tantam erga te atque ex animo doleo propter te.

Unde nunc, o Jesu amantissime! omnia mala mea, omnem ingratitudinem, iracundiam, inobedientiam, levitatem, immortificationem et cupiditatem in abyssum divinae clementiae tuae projicio, oroque te, Deum meum, ut omnia haec pretioso sanguine tuo ita diluere velis, ut nulla apud te eorum memoria perseveret. Et in omnimodam et perfectissimam omnium offensarum mearum satisfactionem, quas in

te quovis modo per totam vitam meam admisi, offero tibi omnia redemptionis nostrae mysteria, quae peregisti: offero incarnationem, nativitatem, conversationem, passionem et mortem tuam: offero quidquid in gloriosissima genitrice tua Maria et omnibus sanctis tibi unquam placuit. Satisfaciat, quaeso, piissime Jesu! pro peccatis meis Patri tuo summa innocentia tua. Totam vitam meam nimis indignam et sceleratam purissima sindone meritorum tuorum involve, ut mea, quae immunda sunt, tuis mundis copulata, mundentur, et mea, quae imperfecta sunt, tuis unita, perficiantur, ut in praesenti vita tibi placeam et cursu hujus miserae peregrinationis confecto ad te perveniam. Amen.

Et quoniam, o mitissime Deus! multis peccatis et negligentiis meis

maximam tibi intuli injuriam, ideo etiam paratus sum, divinae justitiae tuae perfectam satisfactionem pro viribus meis rependere. Poenitentiam igitur illam, quam Confessarius mihi imposuit tuis verbis, fideliter summaque cum devotione persolvam. Et utinam tali devotione et amore eandem persolvere possim, ut majore beneplacito et oblectatione te afficiam, quam injuriis et contumeliis te affeci! Quod ut perficere possim, unio et immergo hanc poenitentiam meam in omnia opera satisfactoria, quae dilectus Filius tuus triginta tribus annis, jejuniis, vigiliis et orationibus perfecit, et in unione omnium illorum offero tibi hanc orationem et poenitentiam meam.

Hic poenitentiam tibi impositam ora, dein conclude: O Pater coele-

stis, aeterne Deus! Suscipe nunc hanc confessionem et exiguam satisfactionem meam in unione omnium operum, quae unquam ad gloriam nominis tui perfecta sunt. Rogo te, ut eandem per merita passionis dilecti Filii tui et per intercessionem beatae Mariae virginis, matris ejus et omnium sanctorum ratam ac mihi salutarem habere et facere digneris. Et quidquid mihi defuit de sincera praeparatione, perfecta contritione, fideli et dilucida confessione, id omne commendo dulcissimo cordi Unigeniti tui tanquam bonorum omnium gazophylacio, ex cujus abundantia omne debitum tibi suppletur, ut per id ipsum omnes defectus et negligentiae meae in susceptione hujus Sacramenti commissae perfecte ad aeternam laudem tuam deleantur, meque tam efficaciter absolvere velis in

coelis, sicut minister tuus tua aucto-ritate me absolvit in terris. Per Je-sum Christum, Filium tuum, Dominum nostrum. Amen.

Orationes ad s. communionem.

Praeparatio.

O dulcissime Salvator Christe Jesu! qui tanta caritate nos miseros dilexisti, ut nobis pretiosum Corpus et Sanguinem tuum in cibum et potum donare dignatus sis: da mihi, quaeso, gratiam, ut omnia impedimenta, quae me a tuo consortio et jucundo complexu abstrahere possint, sedulo removeam, et molestam peccatorum meorum sarcinam ac quidquid purissimos majestatis tuae oculos offendit, vera contritione aboleam.

Praesta etiam, o clementissime Deus, ut omnis mentis meae distractio, torpor et taedium tua gratia effugetur et anima mea ex contemplatione tuae majestatis suaeque vilitatis magna cum

humilitate ad hoc divinum Sacramentum accedere mereatur. Excita quaeso in me ardens desiderium, pium amorem et dulcem erga te affectum, ut te tantae dulcedinis Dominum devote in animam meam introducam, quam tibi, dulcissime Jesu, inhabitandam humiliter offero. Nihil quidem in me est, nihil paravi, quod divinae magnificentiae tuae possit placere; sed totam substantiam meam offero pietati tuae, desiderans et orans, ut ipse tibi praeparare digneris, quidquid divinam tuam benignitatem in me delectare possit.

O dulcissima virgo Maria, te deprecor et exoro, ut mihi miserrimo peccatori in hac hora, qua pretiosissimum Filii tui Corpus et Sanguinem percepturus sum, assistere digneris. Ora pro me Filium tuum, ut digne

perficiam hoc, quod intendo menteque purificatus et corpore digne sancta sanctorum degustare merear. O Maria, flos virginum, contege nunc et deterge pallio tuae misericordiae maculas animae meae, comitare mecum obviam eunte Filio tuo!

Vos etiam invoco nunc omnes sancti mei patroni, inprimis s. N., cujus nomen in s. baptismatis fonte mihi inditum est, omnesque simul angeli omnes et electi Dei, ut mecum ad altare et convivium Regis aeterni properetis mihique vestram puritatem, humilitatem, caritatem, fervorem, devotionem, ceteras virtutes, quibus Domino placuistis, in hac hora donare dignemini, ut probatus appaream in conspectu summi Regis, vestrisque suffultus meritis et precibus, Corpus et Sanguinem ejus devote ac fructuose

suscipere valeam ad laudem ejus aeternam meamque et proximorum salutem.

O Jesu Christe, Salvator, ecce nunc appropinquat hora, hora inquam illa felicissima, qua te Deum meum in animam meam recepturus sum! Cum summa qua possum reverentia venio ad te! Extende igitur sacratissimas manus tuas ad amplexandam animam meam, sicut easdem perforatas manus inter maximos mortis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendisti. O quam libentissime ego te nunc, o vita animae meae, suscipio! Te desiderat, te affectat anima mea! Invito igitur te tali devotione et amore, quali unquam amantissima anima ad se te invitavit. Veni ergo dilectissime animae meae, veni amor animae meae et dignare ad hospitiolum indignissimae

animae meae declinare et desideratam praesentiam tuam exhibere. Veni ad me, veni o salus una animae meae, totum et unicum bonum meum, adstringam te pectori meo, accipiam te in ulnas animae meae et ponam te ut signaculum super cor meum. Veni Salvator, noli tardare, quem exspectabam in tenebris, veni, et novae lucis radio illustra cor meum eligensque tibi sepulturam in me sepeli me totum vicissim in te, ut omnibus mortuus rebus tibi soli vivam, novum fervorem acquiram, novum hominem induam et sic sit in te mihi perpetua requies.

Ecce summo desiderio et ferventi affectu, o Deus, scrutator animae meae, desidero sumere mirabile et coeleste Sacramentum, omni, qua par est, pietate et religione, omni

affectu, desiderio et fervore angelorum et electorum tuorum. Domine, ante te omne desiderium meum, paratum cor meum, Deus, paratum cor meum! Desiderium pauperis exaudi o Deus; praeparationem cordis exaudiat auris tua, suppleat divina et immensa benignitas et bonitas, quidquid humana mea non valet infirmitas.

Post s. Communionem.

O amabilis Jesu, Deus animae meae, unde mihi indignissimo peccatori tanta dignatio tantaque dilectio, ut me oculis misericordiae tuae tam benigne respicere, tam amanter visitare, tam misericorditer reficere, tam abundanter satiare et tam clementer ad splendidum et vivificum sacrae mensae tuae convivium dignatus sis admittere? O dilectissime Jesu! miserere

mei; o pie, o clemens, o benigne Redemptor; o spes mea, refugium meum, salus mea unica! O bone Jesu, dilecte mi, lux animae meae, pax mea et requies! Deus meus, peto veniam, peto gratiam, peto spiritum tuum! Emunda, sana, sanctifica me! Doce, illumina, dirige me! Adjuva, protege, salva me! Da, ut diligam te tota anima, tota virtute!

O mi dulcissime et suavissime hospes animae meae, Domine Jesu, diu desiderate, anxie quaesite, sollicite adamate! Saluto te ex intimis animae meae visceribus et omni, qua possum, veneratione excipio te, meque ad omnia officia paratum offero. Jam tu in me manes et ego in te, quis me separabit a te? Tenebo te nec dimittam, nisi benedixeris mihi: Benedic, Domine, servo tuo et aufer a me male-

dictionem, quam peccatis meis toties promerui. Instaura quoque per hoc excellentissimum Sacramentum omnes ruinas meas spirituales et supple inopiam meam. Per hoc mortifica in me, quidquid tibi displicet, et effice me hominem secundum cor tuum. Per hoc confirma spiritum meum, animam et corpus meum meque totum lucis Divinitatis tuae illustra. Per hoc largire, ut in te stabiliar, te perfecte et perseveranter diligam, tibi incorporer intimeque uniar ac totus in te convertar ad Nominis tui majorem laudem.

Commendo etiam tibi tuaeque acerbissimae *passioni* et *morti* illos, pro quibus orare teneor, et tu rogari vis, quique se meis precibus commendarunt. *Sanguini tuo* pretioso pro nobis effuso commendo animam meam, ut per illum expietur et virtutibus il-

lis, quae tibi maxime placent, exornetur. *Lateri* tuo aperto ecclesiam, quae ex illo orta est, ut in illo sanctificetur. *Capiti* tuo spinis compuncto summum Pontificem, regem omnesque principes et antistites tam divinarum, quam humanarum rerum. *Manui tuae dextrae* hunc locum et omnes habitantes in eo, ut hic vigeat humilitas, pax, caritas, obedientia, continentia, pietas. *Pedi dextro* omnia negotia et necessitates meas. *Manui sinistrae* omnes, qui me aliquo modo oderunt, vel molestia affecerunt. *Pedi sinistro* omnes miseros peccatores maxime in peccato mortali jacentes, ut resipiscant et ad dextram partem transferantur. *Flagellationi tuae* aliisque jejuniis a te toleratis haereticos et infideles, ut illuminentur et ad veram fidem perducuntur. *Triumphali Ti-*

tulo: „Jesus Nazarenus Rex Judaeorum“ parentes, consanguineos, praeceptores et benefactores meos. *Cruci* Religiosos omnium ordinum, ut crucem voluntarie recipiant ac libenter tecum bajulent. *Angori* trium horarum in cruce omnes, qui in necessitate ac tribulatione aliqua constituti sunt, praesertim autem, qui in mortis agone versantur. *Morti* tuae denique omnes, qui in purgatorio detinentur, ut consolati exultent in laude et gloria! Amen.

Commendo quoque me et quos supra nominavi, tibi o serenissima virgo Maria, coeli terraeque Regina! Precor te Matrem Dei, quem modo indignus ego peccator sumere praesumpsi, ut apud eundem dilectissimum Filium tuum pro me peccatore intercedas, ut quidquid quacunque ra-

tione in summi hujus Sacramenti sumptione deliqui, hujus negligentiae meae veniam impetres. O si tuis precibus assequar Virgo Mater, ut cum a hac sumtione Corporis Filii tui novum et ardentem spiritum conjungam ac semper in laude ejus et gratiarum actione pie verser meoque Redemptori nunquam ingratum, sed fidum ministrum in omnibus me praebeam!

Vos quoque, beatos et electos omnes ego exul et orphanus humiliter imploro, ut in conspectu Throni ejus voce unanimi hymnum et laudem gloriae ejus decantetis: collaudantes vivificae Deitatis dignationem, quae me indignum in perceptione sacrosancti Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi dignata est respicere.

Gratiarum actio.

O quas nunc tibi potero referre

gratias Deus meus pro tanta caritate! Non sufficio ex me cogitare, quantus tibi debitor sim, nedum dignas agere gratias. Quid enim potero tibi dare aut referre pro te ipso? Utinam aperiantur labia mea et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam et enarrem universa mirabilia tua! Magnificet anima mea Dominum tot tantisque affecta beneficiis et exultet spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem servi sui et fecit mihi magna, qui potens est et sanctum nomen ejus, qui esurientem replevit bonis. Benedicant, glorificent et magnificent te pro me omnia mirabilia tua, quae ex te, Deus vitae meae, habes. Benedicant et glorificent te multae et magnae miserationes et misericordiae tuae et infinita beneficia,

quibus tu, o Deus, animae meae benefecisti. Glorificent te omnia, interiora mea et tota substantia et virtus mea, quia tu es Deus, salutis meae et susceptor animae meae. Jubilent tibi omnia pietatis tuae opera et infinitae bonitatis tuae superabundans copia, jubilet tibi tua nimis magna et supereffluens, quam ad homines habes, caritas! Tibi laus et gloria et gratiarum actio in saecula saeculorum. Amen.

Conclusio.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, cor contritum et humiliatum atque felicem vitae meae consummationem tribuat mihi omnipotens et misericors Dominus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Pater noster etc. Ave Maria etc.

Dominus det nobis suam pacem et vitam aeternam. Amen.

Pars posterior.

PRECES DIVERSAE.

Litaniae de SS. Trinitate.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Pater, ex quo omnia, Miserere nobis!
Fili, per quem omnia,
Spiritus sancte, in quo omnia,
Sancta et individua Trinitas, unus Deus,
Incomprehensibilis Majestas,
Immutabilis potentia,
Infinita sapientia,
Inexhausta bonitas,
Imperialis dignitas,
Aeterna veritas,
Rex omnipotens Deus,
Qui solus es, et unus Deus,
In quo vivimus, movemur et sumus,

Miserere nobis!

Cujus Majestate repleta est omnis terra,
Cui soli debetur honor et gloria,
Qui consolaris nos in tribulatione nostra,
Qui facis mirabilia magna solus,
Qui es, qui eras, qui venturus es,
In judicio justus et terribilis,
In regno gloriosus et admirabilis,
Pater ingenite,
Fili unigenite,
Spiritus sancte ab utroque procedens,
O beata Trinitas unus Deus,

Miserere nobis!

Propitius esto, Parce nobis Domine,
Propitius esto, Exaudi nos, Domine,
Ab omni malo, Libera nos, Domine,
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
Ab omni infidelitate, Libera nos Domine.
A mandatorum tuorum transgressione,
Libera nos Domine.

A donorum tuorum contemptu,
A rerum sacrarum neglectu,
A morte perpetua,
Per omnipotentiam tuam,
Per sapientiam tuam,
Per infinitam bonitatem tuam,
Per magnam misericordiam tuam,
Per patientiam et longanimitatem tuam,

Libera nos Domine!

Peccatores, te rogamus, audi nos,
Ut te, Deum verum, semper et ubique confiteri nobis dones,
Ut te Deum unum in Trinitate venerari, et Trinitatem in Unitate adorare concedas,
Ut te toto corde diligere nobis largiri digneris,
Ut populum sancto tuo nomini sacratum conservare et salvare digneris,
Errantibus, ut in viam possint re-

Te rogamus, audi nos!

dire justitiae, gratiam concedere
dignaris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus Defunctis requiem aeternam donare digneris,
Te rogamus audi nos.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus.
O beata Trinitas, libera nos!
O beata Trinitas, salva nos!
O beata Trinitas, vivifica nos!
Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Benedictus es Domine in firmamento coeli.

℟. Et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

℣. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

℟. Et metuant eum omnes fines terrae.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia Majestatis adorare Unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Adoratio et gratiarum actio ad sanctissimam Trinitatem pro acceptis beneficiis.

Adoro te, sanctissima Trinitas, unus Deus, meque totum tibi offerens gratias ago pro infinitis misericordiis et beneficiis a tua bonitate in me impensis. Humiliter exoro tuam Majestatem, ut hoc opus tam nobile, quod construxerunt manus tuae, mea autem paene destruxit malitia, ad pristinam integritatem reformare digneris, ut et ego ad finem, propter quem me creasti, feliciter te miserante pervenire valeam, quantumvis indtgnus sim et peccator!

Adoro te, Deus meus et omnia, trinum in personis et unum in essentia Deum: te laudo, te glorifico, te

profiteor supremam et immensam Majestatem; Deum sapientissimum, potentissimum, optimum et perfectissimum! Magnitudinis tuae, sapientiae, dignitatis et gloriae nullus est finis: Tu es unicum et summum bonum, perfectum et infinitum, a quo et in quo sunt omnia, extra quod et sine quo nihil amandum. Quidquid enim bonitatis, pulchritudinis, et perfectionis sparsim imperfecteque in universis creaturis reperitur, hoc totum a te tanquam fonte procedit, hoc totum in te est unitum. Tu es Dominus universorum; tu fecisti coelum et terram et omnia, quae in eis sunt, et non est, qui voluntati tuae resistere possit. Omnia tibi serviunt et obediunt in coelo et in terra: Angeli ipsi cum tremore immensam tuam adorant Majestatem et cum exultatione ineffabili

Sanctus sine fine concinunt. Tu ad quaecunque vis facienda vales, omnia perfecte intueris, qui renes et corda scrutaris, nec ullus potest te decipere aut a te abscondi. Tu omnia, quae fecisti diligis et cum omnibus ex tua bonitate te communicas. Quantopere ergo te laudare, adorare et amare debeo, o Sanctissima Trinitas, et quam aequum et justum est, ut tibi semper amore inflammatus serviam, obediam ad gloriam tuam sempiternam!

O me miserum, qui hactenus id neglexerim et ingrate tibi me subtraxerim, cum tamen inaestimabilis sit tua erga me caritas et munificentia! Ab aeterno me amasti et ad tuae praedestinasti participationem, nisi obicem positurus essem; ad imaginem et similitudinem tuam me creasti, perditum per Unigeniti tui Passionem et

Sanguinem redemisti; tu me nutris ac servas omniaque ad corporis et animae sustentationem et in tuo servitio confortationem necessariam prospicis et donas; tu me a puero multipliciter peccantem patienter tolerasti; tu adhuc quotidie cadentem misericorditer suspicis, erigis et ad te revertentem culpamque agnoscentem benignissime in gratiam recipis, ignoscis, justificas et sanas; tu teipso in Sacramento altaris mirifice me pascis et recreas et adhuc gloriosum regnum tuum mihi promittis, ubi tecum fruitione plena perenniter gaudebo, si tibi servire et in amore tuo perseverare voluero: o quam ardens est, quam immensus amor hic, quo me, Deus meus, tam tenere diligis, et quam magna contra infidelitas et ingraditudo mea erga te! Ignosce, dulcis amator,

omni ingraditudini meae, propitiare universis iniquitatibus meis! Sint omnia vitae meae transactae vitia propter nomen tuum oblivioni in perpetuum tradita, et da, ut in posterum innocenter, humiliter et pudice coram te in omnibus viis meis ambulem atque ex sincero amore cuncta propter te agam, dimittam et patiar secundum tuam sanctissimam voluntatem, ad tuam gloriam, meamque et omnium salutem. Amen.

Visitatio SS. Sacramenti Altaris.

Litaniae de Sanctissimo Sacramento.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!

Pater de coelis Deus!
Fili redemptor mundi Deus!
Spiritus sancte Deus!
Sancta Trinitas unus Deus!
Panis vivus, qui de coelo descendisti!
Deus absconditus et salvator!
Frumentum electorum!
Vinum germinans virgines!
Panis pinquis et deliciae regum!
Juge sacrificium!
Oblatio munda!
Agnus absque macula!

} Miserere nobis!

Mensa purissima!
Angelorum esca!
Manna absconditum!
Memoria mirabilium Dei!
Panis supersubstantialis!
Verbum caro factum!
Habitans in nobis!
Hostia sancta!
Calix benedictionis!
Mysterium fidei!
Praecelsum et venerabile Sacramentum!
Sacrificium omnium sanctissimum!
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis!
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur!
Stupendum supra omnia miraculum!
Sacratissíma Dominicae Passionis commemoratio!
Donum transcendens omnem plenitudinem!

Miserere nobis!

Memoriale praecipuum divini amoris!
Divinae affluentia largitatis!
Sacrosanctum et augustissimum mysterium!
Pharmacum immortalitatis!
Tremendum ac vivificum Sacramentum!
Panis omnipotentia verbi caro factus!
Incruentum Sacrificium!
Cibus et conviva!
Dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes!
Sacramentum pietatis!
Vinculum caritatis!
Offerens et oblatio!
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata!
Refectio animarum sanctarum!
Viaticum in Domino morentium!

Miserere nobis!

Pignus futurae gloriae! Miserere nobis!
Propitius esto! Parce nobis Domine,
Propitius esto! Exaudi nos Domine,
Ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione! Libera nos Domine,
A concupiscentia carnis!
A concupiscentia oculorum!
A superbia vitae!
Ab omni peccandi occasione!
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavasti,
Per ardentissimam caritatem, qua hoc divinum Sacrificium instituisti,
Per Sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,

Libera nos Domine.

Per quinque Vulnera hujus tui corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti, Libera nos Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos,

Ut nobis parcas, te rogamus etc.

Ut nobis indulgeas,

Ut nobis fidem, reverendiam et devotionem hujus admirabilis, Sacramenti augere et conservare digneris,

Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,

Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis caecitate liberare digneris,

Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris,

Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti viatico nos confortare et munire digneris,

Te rogamus, audi nos!

Ut nos exaudire digneris, Te rogamus, audi nos!

Fili Dei, Te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis!

Christe audi nos, Christe exaudi nos!

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Domini exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti! tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fruc-

tum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula seculorum. Amen.

Salutatio SS. Sacramenti Altaris.

Salve nobilissimum Corpus et pretiosissime Sanguis Domini mei Jesu Christi, sub hac panis specie vere praesens, te adoro tali cultu et devotione, quali novem Angelorum chori te venerantur et colunt. Coram te procido in spiritu humilitatis, credens et confitens, quod tu Dominus meus et Deus meus vere hic contenearis.

Salve nobilissimum Corpus Salvatoris mei Jesu Christi, vera hostia in cruce immolata. Adoro te in unione istius adorationis, qua Humanitas tua adoravit Divinitatem: et cum affectu totius universitatis ago tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere digneris.

Salve pie Jesu, Verbum Patris, Splendor gloriae, Fons pietatis, Salus mundi, sacra Hostia, Salve Jesu Christe, Splendor Patris, Princeps pacis, janua coeli, Panis vivus, Virginis partus, Vas *Deitatis.*

Credo firmissime, quod tu Deus meus hic praesens es, meque ex hoc Sacramento intuearis, atque intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum Caro et Sanguis tuus, verum etiam Deitas et Humanitas tua contineantur. Quod licet intelligere nequeam, adeo tamen firmiter credo, ut vitam et sanguinem meum pro hac veritate profundere paratus sim.

Coram te, o SS. Sacramentum, cum summa reverentia procido et cum omnibus Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum Che-

rubinis et Seraphinis cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae concino dicens: Centies millies laudetur sanctissimum Altaris Sacramentum.

O intima medulla paterni cordis gratias tibi ago per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis pro eo, quod hoc inaestimabile Sacramentum instituisti, per quod coeli et terra reconciliantur et immensis gratiarum donis perpetuo replentur

Glorifico et magnifico sapientem et benignam omnipotentiam tuam; laudo et adoro omnipotentem et benignam sapientiam tuam; benedico et gratias ago omnipotenti et sapienti benignitati tuae, Christe Jesu, quod praevaluisti, scivisti et dignatus es in salutis nostrae subsidium hoc praemagnificum Sacramentum instituere.

O unica et vera fiducia animae meae, Christe Jesu, te laudo, te amo, te colo, te adoro atque humillime deprecor, ut in hac hora te Deo patri pro nimiis debitis meis offeras, sicut te ipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O Christe Jesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum humiliter coram te prostratum atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O Flos nobilissime de radice Jesse per ineffabilem amorem praedulcissimi cordis tui miserere mei et recipe me in gratiam tuam propter gloriam nominis tui.

O Pater amantissime, offero tibi hunc dilectum Filium tuum in perpetuae laudis tuae holocaustum et in pro-

pitiationis peccatorum nostrorum juge sacrificium. Respice, quaeso, in faciem Christi tui, et memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris pependit in cruce et miserere nostri. Amen.

Hymnus ad SS. Sacramentum Altaris.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus Ventris generosi
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus
Sparso Verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.
Verbum Caro, panem verum
Verbo Carnem efficit,
Fitque Sanguis Christi merum,
Etsi sensus deficit.
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui,
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque

Sit et benedictio
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Septem orationes de Passione Domini ad obtinendas virtutes christianas.

Oratio I.
De humilitate.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, ipse verus Deus, potentissimus rerum omnium Conditor et Moderator, qui, ut humilitatis exemplum nobis relinqueres, e sublimi coelo in hanc terram descendisti, humanam nostram infirmitatem atque abjectionem assumens, a servoque tuo Joanne velut impurus peccator baptizare voluisti, et passione tua jam instante caris discipulis animae tuae tristitiam patefecisti,

postratusque in terram sudore sangui-
neo emisso humillime voluntatem tuam
in voluntatem Patris resignasti, aliaque
quam plurima egisti, quae summae
humilitatis sunt argumentum: precor,
ut profundam dones mihi humilitatem,
qua me omnibus facile lubensque sub-
jiciam neque alte de me ipso sentiam,
sed vilis sim abjectusque semper in
oculis meis, et talis ab omnibus haberi
cupiam. Qui vivis et regnas in sae-
cula saeculorum. Amen.

Oratio II.

De mansuetudine.

Domine Jesu Christe, praeclarum
omnium virtutum exemplar, qui sum-
mam semper omnibus mansuetudinem
praebuisti, tam in Nativitatis tuae ex-
ordio, quum te mundo ostendisti inimi-
cissimo, quam per totam reliquam vi-

tam, in qua mansuetudine summa cum discipulis rudibus et Judaeis continuo tibi insidiantibus versatus es, quam denique passionis tempore, cum et proditorem Judam mansuetissime osculatus es et Judaeis eodem semper animo teipsum exhibuisti, licet dure te ligarent, caederent: veram mihi largiaris mansuetudinem, qua sedato animo omnia mea peragam atque mansuete cum omnibus verser, sive benigne, sive graviter in me consulunt. Qui vivis etc.

Oratio III.
De patientia.

Domine Jesu Christe, patientiae speculum et auctor omnium bonorum, qui in omnibus Judaeorum conviciis et, quas intulerunt, plagis atque diris flagellis infractum semper animum et

benignum exhibuisti: obsecro, ut hanc mihi infundas gratiam, qua summa constantia, quae christianum hominem officiumque meum decent, perficiam, injurias omnes illatas fortiter perferam nec ullis adversitatibus unquam commovear, sed aequo sim animo, sive rebus adversis sive secundis utor. Qui vivis etc.

Oratio IV.
De obedientia.

Domine Jesu Christe, summum totius orbis imperium tenens, cui ad nutum omnia obediunt, cui se reges inclinant et cui subsunt cunctae prorsus creaturae, rogo te per insignem illam obedientiam, qua te totum ita Patris voluntati subdidisti, ut fatereris esse cibum tuum, ejus jussionem implere, neque illi tantum paruisti,

verum etiam hominibus quantumvis improbis, ut judici Pilato in suscipienda mortis sententia, et impiis tortoribus in his, quae ad inferendas poenas inique praecipiebant: rogo, inquam, ut gratiam mihi largiaris, qua tuis imprimis sanctissimis mandatis et piis internis Spiritus sancti suggestionibus obtemperem, coecam, velocem, alacrem atque humilem obedientiam superioribus meis libenter praestem. Qui vivis etc.

Oratio V.
De benignitate.

Domine Jesu Christe, benignissime Deus, qui summa semper amabilique benignitate erga tuos usus fuisti, cum infantulus in ulnis Simeonis requievisti, cum Apostolorum lavisti pedes, cum crucem ponderosam bajulans, ad

mulieres conversus eas consolatus es et vestibus spoliatus manus crudeliter perforandas porrexisti: precor te, ut etiam mihi benignitatem amabilem conferas, qua cum omnibus, prout convenit, converser, animi summa dulcedine cum illis agam, nec adversantibus sim asperior, quam faventibus, verum amabilem dulcemque benignitatem omnibus exhibeam. Qui vivis etc.

Oratio IV.
De caritate.

Domine Jesu Christe, caritas increata, qui maximo amore salutem nostram semper sitivisti et veluti profugus in aliena terra peregrinari dignatus es, cujus est terra omnis et plenitudo ejus; qui praeterea omnium hominum, qui ad te veniunt, miserias et calamitates sublaturum te promisisti;

qui post immensos nostra causa exantlatos labores etiam sanguinem tuum profundere et animam pretiosissimam pro nobis ponere voluisti: per hanc te supplex rogo, ut mihi veram caritatem infundas, qua te imprimis ardentissime diligam, deinde proximum quemque in te et propter te summo complectar amore, nihilque mihi in rebus ullis parcam, quibus vel tibi, vel proximo obsequium aliquod exhibere possim, quantumvis id durum sit mihi atque molestum. Qui vivis etc.

Oratio VII.

De liberalitate et compassione.

Domine Jesu Christe, potentissime ac liberalissime Deus, qui summa liberalitate te ipsum totum nobis donasti, quum in maximis laboribus et corporis molestiis nihil tibi parcens omnes

sitientes ad te venire jussisti, ut aqua salutari eos potares, et liberalissime coelestis sapientiae divinaeque gratiae thesaurnm cum illis communicares; denique sanguinem omnem, ut te totnm nobis impenderes liberalissime effudisti: oro, ut mihi liberalem des animum, quo non solum in tuum obsequium, sed in auxilium quoque salutemque proximorum me totum meaque omnia liberaliter impendam; fac etiam, precor, ut sedulo et continuo passionem tuam doloremque sanctissimae Matris in anima gestem, quorum meditatione vitam meam christiano homine et vocatione mea dignam traducam, animumque meum ita componam, ut dignus sit, in quo per gratiam tuam quiescas et habites una cum Deo Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. *Amen.*

Litaniae de Nomine Jesu.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Pater de coelis Deus, Miserere nobis o Jesu!
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis, o Jesu!
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Jesu Fili Dei vivi, Miserere nobis, o Jesu!

Jesu potentissime,
Jesu fortissime,
Jesu perfectissime,
Jesu gloriosissime,
Jesu mirifice,
Jesu jucundissime,
Jesu clarissime,
Jesu clarior sole,
Jesu pulchrior luna,
Jesu splendidior stellis,

Miserere nobis, o Jesu!

Jesu admirabilis,
Jesu delectabilis,
Jesu honorabilis,
Jesu humillime,
Jesu pauperrime,
Jesu mitissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu castissime,
Jesu amator pacis,
Jesu speculum vitae,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu decus morum,
Jesu zelator animarum,
Jesu refugium nostrum,
Jesu Pater pauperum,
Jesu consolator afflictorum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu gemma pretiosa,
Jesu armarium perfectionis,
Jesu bone pastor ovium,

Miserere nobis, o Jesu!

Jesu stella maris,
Jesu lux vera,
Jesu sapientia aeterna,
Jesu bonitas infinita,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu Rex Patriarcharum,
Jesu inspirator Prophetarum,
Jesu magister Apostolorum,
Jesu doctor Evangelistarum,
Jesu fortitudo Martyrum,
Jesu lumen Confessorum,
Jesu sponse Virginum,
Jesu corona sanctorum omnium,

Miserere nobis, o Jesu!

Propitius esto, Parce nobis Jesu,
Propitius esto, Exaudi nos Jesu,
Ab omni malo, Libera nos Jesu,
Ab omni peccato, Libera etc.
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A peste, fame et bello,
A transgressione mandatorum tuorum,

Libera etc.

Ab incursu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per adventum tuum,
Per navitatem tuam,
Per circumcisionem tuam,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulcissimam Virginem Matrem tuam,
Per intercessionem omnium Sanctorum tuorum,

Libera nos Jesu!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Jesu!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis Jesu!

Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem·
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Sit nomen Domini benedictum:
℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.
℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui gloriosissimum nomen Jesu Christi Filii tui, Domini nostri, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile et malignis spiritibus tremendum atque terribile; concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae consolationis dulcedinem in praesenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis et interminabilis be-

atitudinis obtineant in coelis. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad Nomen Jesu.

O piissime et dulcissime Jesu, per pretiosum illum sanguinem, quem pro peccatoribus effudisti, deprecor te, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me miserum et indignum humiliter veniam petentem et hoc sanctum Nomen Jesu invocantem clementissime respicias. O Nomen Jesu, Nomen delectabile! Quid est enim Jesu, nisi salvator? ergo Jesu, propter Nomen sanctum tuum salva me. Ne permittas me damnari, quem pretioso sanguine tuo redemisti. O bone Jesu ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me,

dum tempus est judicandi. O piissime Jesu, salus in te credentium, fiducia ad te confugientium, post hanc miseriam feliciter ad te perveniam. Amen.

Hymnus de ss. Nomine Jesu, auctore s. Bernardo.

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.
Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei Filius.
Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus?
Quam bonus te quaerentibus?
Sed quid invenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere,

Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Jesu, Rex admirabilis
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet caritas.
Amor Jesu dulcissimus
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.
Hoc probat ejus passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur et Dei visio.
Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium

Et omne desiderium.
Jesu, decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.
Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.
O Jesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animae,
Te quaerunt piae lacrimae
Et clamor mentis intimae.
Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.
Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quaerite,
Quaerendo inardescite.

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite
Et vota votis reddite.
Jesu, auctor clementiae,
Totius spes laetitiae,
Dulcoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae.
Jesu mi bone! sentiam
Amoris tui copiam:
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam.
Cum digne loqui nequeam,
De te tamen ne sileam,
Amor facit, ut audeam
Cum de te solum gaudeam.
Tua, Jesu, dilectio
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Quem hic amor inebriat,

Novit, quid Jesus sapiat;
Quam felix est, quem satiat!
Non est, ultra quod sapiat.
Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me laetum quando facies?
Me de te quando saties?
Amor tuus continuus
Mihi languor assiduus,
Mihi fructus mellifluus
Est et vitae perpetuus.
Quocunque loco fuero,
Mecum Jesum desidero:
Quam laetus, cum invenero,
Quam felix cum tenuero!
Jam, quod quaesivi, video,
Quod concupivi, teneo,
Amore Jesu langueo
Et corde totus ardeo.
Jesus cum sic diligitur,
Hic amor non extinguitur,

Non tepescit nec moritur,
Plus crescit et accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat et feliciter.
Hic amor, missus coelitus
Haeret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium
Amare Dei Filium!
Jesu, sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior
Et cunctis amabilior.
Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,

Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio
Jesu, mundi salvatio.
Te nostra, Jesu, vox sonet,
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

Suspirium s. Francisci Xaverii.

O Deus! ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut, quia non amantes te
Aeterno punis igne.
Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce;
Tulisti clavos, lanceam
Multamque ignominiam
Innumeros dolores,
Sudores et angores

Ac mortem et haec propter me,
Ingrato peccatore!
Cur igitur non amem te
O Jesu amantissime!
Non ut in coelo salves me
Aut ne aeternum damnes me
Nec praemii ullius spe:
Sed sicut tu amasti me
Sic amo et amabo te,
Solum, quia Rex meus es,
Et solum quia Deus es!

Oratio.

Absorbeat quaeso, Domine Jesu Christe, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui ab omnibus, quae sub coelo sunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Amen.

Oratio ad Jesum in afflictione.

O dulcissime Domine Jesu Christe!

verus Deus, qui de sinu summi Patris omnipotentis missus es in mundum ad peccata relaxanda, afflictos redimendos, positos in carcere solvendos, lugentes et dolentes consolandos: dignare me, Domine, absolvere et liberare famulum tuum, ab afflictione et tribulatione, in qua positus sum.

Dixisti, Domine, latroni in cruce pendenti: „*Amen, amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*"; dixisti, Domine, Patri tuo: „*Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?*" dixisti matri tuae: „*Mulier! ecce filius tuus,*" et discipulo: „*Ecce, mater tua,*" ostendens, te curam, habere tuorum amicorum; dixisti Domine: „*Sitio*" scilicet salutem animarum sanctarum; dixisti Domine Patri tuo: „*In manus tuas commendo spiritum meum!*" dixisti: „*consum-*

matum est," significans, labores et dolores, quos pro nobis miseris obiisti, jam finiri: propter haec omnia rogo te, Domine! ut me famulum tuum custodias ab hoste maligno et omni periculo praesenti et futuro. Rogo te Domine, per ista et omnia alia, quae pro me suscepisti, ut ab omnibus periculis animae et corporis pro tua pietate et misericordia nunc et semper me liberare digneris, et post hujus vitae cursum ad te, Deum vivum et verum, me perducere digneris, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Litaniae de s. Spiritu.

Kyrie eleison etc.
Pater de coelis Deus, miserere nobis!
Fili Redemptor mundi Deus, miserere etc.
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Spiritus a Patre Filioque procedens,
Spiritus de Christo testimonium perhibens,
Spiritus veritatis suggerens nobis omnia,
Spiritus nos docens omnem veritatem,
Spiritus Domini replens orbem terrarum,
Spiritus Dei habitans in nobis,
Spiritus sapientiae et intellectus,
Spiritus consilii et fortitudinis,
Spiritus scientiae et pietatis,
Spiritus timoris Domini,
Spiritus gratiae et misericordiae,

Miserere nobis!

Spiritus sanctificationis,
Spiritus virtutis, dilectionis et sobrietatis,
Spiritus gratiae et precum,
Spiritus fidei, pacis et amoris,
Spiritus humilitatis et castitatis,
Spiritus benignitatis et mansuetudinis,
Spiritus patientiae, modestiae et continentiae,
Spiritus compunctionis,
Spiritus multiformis gratiae,
Spiritus Domini, qui initio creationis aquis incubans eas fovisti et fecundasti,
Spiritus, quo inspirante locuti sunt sancti Dei homines,
Spiritus, qui super Christum baptizatum in specie columbae descendisti,
Spiritus, qui in die Pentecostes

Miserere nobis!

super discipulos Domini in linguis igneis sedens apparuisti,
Spiritus, quo repleti Apostoli intrepide Christum confessi sunt,
Spiritus, cujus unctio nos docet de omnibus,
Spiritus, qui scrutaris omnia, etiam profunda Dei,
Spiritus postulans pro nobis gemitibus inennarrabilibus,
Spiritus, in quo renascimur,
Spiritus, per quem diffusa est caritas in cordibus nostris,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus adjuvans infirmitatem nostram,
Spiritus principalis confirmans nos,
Spiritus fide purificans corda nostra,
Spiritus nos vivificans,
Spiritus gratias et dona tua varie distribuens,

Miserere nobis!

Spiritus Paraclitus manens nobiscum in aeternum, Miserere nobis,

Propitius esto, Parce nobis, sancte Spiritus,

Propitius esto, Exaudi nos, sancte Spiritus,

Ab omni malo, Libera nos, sancte Spiritus,

A tentationibus et iusidiis diaboli, Libera etc.

Ab omni praesumtione et desperatione,
Ab impugnatione veritatis agnitae,
Ab invidentia fraternae caritatis,
Ab omni obstinatione et impoenitentia,
Ab omni immunditia mentis et corporis,
A spiritu irae, rixae et dissensionis,
A spiritu fornicationis,
Ab omni malo,

Libera nos, sancte Spiritus!

In die judicii, Libera nos, sancte Spiritus,
Peccatores, Te rogamus, audi nos!
Ut nobis parcas, Te rogamus etc.
Ut sicut spiritu vivimus, ita et spiritu ambulemus,
Ut spiritu facta carnis mortificemus,
Ut non contristemus Spiritum sanctum Dei,
Ut spiritui gratiae contumeliam non faciamus,
Ut soliciti simus, servare unitatem spiritus in vinculo pacis,
Ut spiritu ambulantes desideria carnis non perficiamus,
Ut non omni spiritui credamus, sed probemus spiritus, si ex Deo sint.
Ut memores, nos esse templum Spiritus sancti, illud violare caveamus,
Ut errantes instruamus in spiritu lenitatis et mansuetudinis,

Te rogamus, audi nos!

Ut seminemus in spiritu et de spiritu metamus vitam aeternam,
Ut paupertatem spiritus in nobis excitare et fovere digneris,
Ut nos mites et mansuetos reddere digneris,
Ut gratiam pii luctus et sanctarum lacrimarum nobis donare digneris,
Ut verae justitiae esuriem sitimque in nobis accendere digneris,
Ut sinceros misericordiae et caritatis affectus nobis infundere digneris,
Ut spiritum rectum innovare et cor mundum in nobis creare digneris,
Ut simus pacifici et digni vocari filii Dei,
Ut persecutiones propter justitiam fortiter et constanter perferamus,

Te rogamus, audi nos!

Ut nos in finem usque in fide, spe et caritate perseverare concedas, Te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Effunde in nobis spiritum sanctum!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Emitte promissum in nos Patris Spiritum!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Da nobis Spiritum pacis!

Pater noster.

℣. Cor mundum crea in me Deus:

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Ne projicias me a facie tua:

℟. Et spiritum sanctum ne auferas a me.

℣. Redde mihi laetitiam salutaris tui:

℟. Et spiritu principali confirma me.

℣. Spiritus sancti gratia:

℟. Illuminet sensus et corda nostra.

℣. Domine exaudi orationem meam:
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum, purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget et ab omnibus tueatnr adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejusdem semper consolatione gaudere. Per Christnm Dominum nostrum. Amen.

Hymnus de sancto Spiritu.

Veni sancte Spiritus
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni Pater pauperum,
Veni Dator munerum,
Veni Lumen cordium.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium:
In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine
Nihil est in homine
Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,

Sana, quod est saucium.
Flecte, quod est frigidum,
Fove quod est frigidum,
Rege, quod est devium.
Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

Piae adspirationes ad sanctum Spiritum pro septem ejus donis impetrandis.

1. Veni, o Spiritus Sapientiae! instrue cor meum, ut sciam aestimare et amare bona coelestia eaque terrenis omnibus anteponere. Monstra insuper viam, qua illa consequi aeternumque possidere valeam. Pater noster.

2. Veni, o Spiritus Intellectus! illumina mentem, ut omnia salutis

mysteria percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine tuo lumen aeternum videre plenamque tui Patrisque ac Filii cognitionem obtinere valeam. Amen. Pater noster.

3. Veni, o Spiritus Consilii! assiste mihi in omnibus instabilis vitae hujus negotiis, mentem in bonum inclina et a malo absterre, meque per rectum mandatorum tuorum tramitem ad optatam salutis aeternae metam dirige. Amen. Pater noster.

4. Veni, o Spiritus Fortitudinis! da robur cordi meo, illudque in omni perturbatione et adversis casibus confirma, virtutemque contra noxios inimicorum meorum conatus largire, ne unquam victus a Deo, summo bono, separer. Amen. Pater noster.

5. Veni, o Spiritus Scientiae! fac, ut caduca hujus mundi bona eorum-

que vanitatem perspiciam et contemnam, neque aliter iis utar, quam ad tuam unius gloriam meamque salutem: tua vero aeterna praemia omnibus rebus terrenis anteponam. Amen. Pater noster.

6. Veni, o Spiritus Pietatis! cor meum ad veram pietatem et sanctum Domini mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quaeram et in vera dilectione inveniam. Amen. Pater noster.

7. Veni, o Spiritus Timoris Domini! confige timore tuo carnes meas, ut provideam te Dominum Deum meum in conspectu meo semper, omniaque solicite caveam, quae purissimis divinae majestatis tuae oculis displicere possunt. Amen. Pater noster.

Litaniae Lauretanae.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Christe audi nos,
Christe exaudi nos,
Pater de coelis Deus, Miserere nobis!
Fili, Redemptor mundi, Deus, Miserere etc.
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Sancta Maria, Ora pro nodis,
Sancta Dei genitrix, Ora etc.
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,

Ora pro nobis!

Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,

Ora pro nobis!

Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Patriarchum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,

Ora pro nobis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi!
Parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis!
Christe audi nos!

Christe exaudi nos!
Ave Maria.

Oremus.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra; tuo Filio nos reconsilia; tuo Filio nos commenda; tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix:
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis

gloriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.
℣. Ora pro nobis beatissime Joseph:
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae genitricis tuae sponsi, quaesumus, Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Salve Regina.

Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules filii Evae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis

post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante praeparasti: da ut cujus commemoratione laetamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis et a morte perpetua liberemur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio sancti Bernardi.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem

suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te, Virgo virginum, Mater, curro; ad te venio, coram te gemens peccator assisto! noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi.

Commendatio ad Mariam.

Ave Maria, gratia plena, Mater Domini nostri J. Christi, nostra singularis Mater et apud Deum deprecatrix fidelissima! Laudo et glorifico te et tecum gratias ago pro omnibus bonis tibi et per te in nos collatis, obsecrans te per maternam pietatem tuam, ut me pauperem sub tutelam et protectionem maternam tuam suscipias, et quae necessaria sunt, clementer mihi procures a filio. Da mihi hunc diem et reliquam omnem

vitam devote in Dei tuique servitio transigere, fac me in omni bono, inprimis in castitate perseverare; in hora mortis me defende et suscipe. Amen.

Oratio ad B. Virginem pro conservanda castitate.

O sanctissima Virgo et Mater Domini mei Jesu Christi, mundissimum innocentiae et puritatis exemplum! Firmiter propono mihi, quoad vivam, nullis unquam inhonestis cogitationibus aut desideriis inhaerere aut consentire, nec unquam aliud cogitatione, verbo et opere, vel quovis alio modo facere et permittere, quod castitati adversum intellexero, et haec omnia ad majorem Dei gloriam et animae meae salutem. Te autem, o piissima Virgo! ego indignissimus filius per tuam virginitatem rogo, mihi impetres a Filio tuo

gratiam et auxilium, ut quod verbis offero, opere praestem et sincerus semper castitatis et constans pietatis amator exsistam, donec tandem ad coelestem Filii tui sedem admittar! Amen.

Salutationes B. V. Mariae pro impetranda felici morte.

Ave Maria etc.

O Domina mea, s. Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit: ita mihi, quaeso, adsis in hora mortis omnemque mihi contrariam potestatem a me potenter averte.

Ave Maria etc.

O Domina mea, s. Maria, sicut Filius Dei divina sua scientia et sapientia te replevit: ita, quaeso, animam meam lumine fidei in hora mortis illustra et corrobora, ut nullo errore aut

ignorantia pervertatur et in perditionem seducatur.

Ave Maria etc.

O Domina mea, s. Maria, sicut Spiritus sanctus plene infudit tibi suum amorem: ita tu in morte divini amoris dulcedinem mihi instilla, per quem omnis angor et amaritudo tollatur et cor meum coelesti consolatione recreetur. Amen.

Alia oratio S. Bernardi ad B. Virginem.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis et humilitas tua Deo tam grata veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat mul-

titudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repraesenta. Fac, o benedicta! per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos beatitudinis et gloriae suae, Jesus Christus, filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

Hymni Mariani sancti Casimiri principis Poloniae.

Omni die
Dic Mariae
Mea laudes anima.

Ejus gesta,
Ejus festa,
Cole devotissima.

Contemplare
Et mirare
Ejus celsitudinem.
Dic felicem
Genitricem,
Dic beatam Virginem.

Ipsam cole,
Ut de mole
Criminum te libera.
Hanc appellet,
Ne procella
Vitiorum superet.

Haec persona
Nobis dona
Contulit coelestia.
Haec Regina
Nos divina
Illustravit gratia.

Lingua mea,
Dic trophaea
Virginis Puerperae.

Quae inflictum
Maledictum
Miro transfert germine.

Sine fine
Dic Reginae
Mundi laudum cantica.
Ejus bona
Semper sona
Semper illa praedica.

Omnes, mei
Sensus, ei
Personate gloriam.
Frequentate
Tam beatae
Virginis memoriam.

Nullus certe
Tam disertae
Exstat eloquentiae,
Qui condignos
Promat hymnos
Ejus excellentiae.

Omnes laudent,
Unde gaudent,
Matrem Dei Virginem;

Nullus fingat,
Quod attingat
Ejus celsitudinem.

Sed necesse,
Quod prodesse
Piis constat mentibus.
Ut intendam,
Quod impendam
Me ipsius laudibus.

Quamvis sciam,
Quod Mariam
Nemo digne praedicet,
Tamen vanus
Et insanus
Est, qui illam reticet.

Cujus vita
Erudita
Disciplina coelica,
Argumenta
Et figmenta
Destruxit haeretica.

Hujus mores
Tanquam flores
Exornant Ecclesiam,

Actiones
Et sermones
Miram praestant gratiam.

Evae crimen
Nobis limen
Paradisi clauserat.
Haec, dum credit
Et obedit,
Coeli claustra reserat.

Propter Evam
Homo saevam
Accepit sententiam,
Per Mariam
Habet viam,
Quae ducit ad patriam.

Haec amanda
Et laudanda
Cunctis specialiter,
Venerari,
Praedicari,
Eam decet jugiter.

Ipsa donet,
Ut, quod monet
Natus ejus, faciam,

Ut finita
Carnis vita
Laetus hunc aspicam:

O cunctarum
Feminarum
Decus atque gloria,
Quam electam
Et evectam
Scimus super omnia:

Clemens audi,
Tuae laudi
Quos instantes conspicis.
Munda reos
Et fac eos
Donis dignos coelicis.

Virgo Jesse,
Spes oppressae
Mentis et refugium:
Decus mundi,
Lux profundi,
Domini sacrarium.

Vitae forma,
Morum norma,
Plenitudo gratiae,

Dei templum
Et exemplum
Totius justitiae.

Virgo salve,
Per quam valvae
Coeli patent miseris,
Quam non flexit
Nec allexit
Fraus serpentis veteris.

Generosa
Et formosa
David regis filia,
Quam elegit
Rex, qui regit
Et creavit omnia.

Gemma decens,
Rosa recens,
Castitatis lilium,
Castum chorum
Ad polorum
Quae perducis gaudium.

Actionis
Et sermonis
Facultatem tribue,

Ut tuorum
Meritorum
Laudes promam strenue.

Opto nimis
Ut imprimis
Des mihi memoriam,
Qua decenter
Et ferventer
Tuam cantem gloriam.

Quamvis mutta
Et polluta
Mea sciam labia,
Praesumendum
Nec silendum
Est de tua gloria.

Virgo gaude,
Omni laude
Digna et praeconio;
Quae damnatis
Libertatis
Facta es occasio.

Semper munda
Et foecunda
Virgo tu Puerpera,

Mater alma
Velut palma
Florens et fructifera.

Ejus flore
Et odore
Recreari cupimus,
Cujus fructu
Nos a luctu
Liberari credimus.

Pulchra tota
Sine nota
Cujuscunque maculae,
Fac nos mundos
Et jucundos
Te laudare sedule.

O Beata,
Per quam data
Nova mundi gaudia,
Et aperta
Fide certa
Regna sunt coelestia.

Per te mundus
Laetabundus
Novo fulget lumine,

Antiquarum
Tenebrarum
Exutus caligine.

Nunc potentes
Sunt egentes
Sicut olim dixeras,
Et egeni
Fiunt pleni
Ut tu prophetaveras.

Per te morum
Nunc pravorum
Reliquuntur devia;
Doctrinarum
Perversarum
Pulsa sunt praestigia.

Mundi luxus
Atque fluxus
Docuisti spernere,
Deum quaeri,
Carnem teri,
Vitiis resistere.

Mentis cursum
Tendi sursum
Pietatis studio,

Corpus angi,
Motus frangi
Pro coelesti praemio.

Tu portasti
Inter casti
Ventris claustra Dominum
Redemptorem,
Ad honorem
Nos reformans pristinum.

Mater facta
Sed intacta
Genuisti Filium,
Regem regum
Atque gregum
Creatorem omnium.

Benedicta,
Per quam victa
Hostis est versutia,
Destitutis
Spes salutis
Datur indulgentia.

Benedictus
Rex invictus,
Cujus Mater crederis,

Increatus
Ex te natus
Nostri salus generis.

Reparatrix,
Consolatrix
Desperantis animae,
A pressura
Quae ventura
Malis est, nos redime.

Pro me pete
Ut quiete
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis
Comburentis
Stagni miser obruar.

Quod requiro,
Quod suspiro,
Mea sana vulnera,
Et da menti
Te poscenti
Gratiarum munera.

Ut sim castus
Et modestus
Dulcis, blandus, sobrius,

Pius, rectus,
Circumspectus,
Simultatis nescius.

Eruditus
Et munitus
Divinis eloquiis,
Timoratus
Et ornatus
Sacris exercitiis.

Constans, gravis
Atque suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus,
Et maturus,
Patiens et humilis.

Corde prudens,
Ore studens
Veritatem dicere,
Malum nolens,
Deum colens
Pio semper opere.

Esto tutrix
Et adjutrix
Christiani populi,

Pacem praesta,
Ne molesta
Nos perturbent saeculi.

Salutaris
Stella maris
Summis digna laudibus,
Quae praecellis
Cunctis stellis
Atque luminaribus.

Tua dulci
Prece fulci
Supplices et refove.
Quidquid gravat
Vel depravat
Mentes nostras remove.

Virgo gaude,
Quod de fraude
Daemonis nos liberas,
Dum in vera
Et sincera
Carne Deum generas.

Illibata
Et ditata
Coelesti progenie

Ex te nata,
Nec fraudata
Flore pudieitiae.

Nam, quod cras,
Perseveras,
Dum intacta generas,
Illum tractans
Atque lactans
Per quem facta fueras.

Commendare
Me dignare
Christo, tuo Filio,
Ut non cadam
Sed evadam
De mundi naufragio.

Fac me mitem,
Pelle litem,
Compesce lasciviam.
Contra crimen
Da munimen
Et mentis constantiam.

Non me liget,
Nec fatiget
Saeculi cupiditas,

Quae indurat
Et obscurat
Mentes sibi subditas.

Nunquam ira,
Nunquam dira
Me vincat elatio,
Quae multorum
Fit malorum
Frequenter occasio.

Ora Deum,
Ut cor meum
Sua servet gratia,
Ne antiquus
Inimicus
Seminet zizania.

Da levamen
Ut juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa
Sive gesta
Qui colunt alacriter.

Litaniae de S. Aloysio.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus! Miserere nobis!
Fili, Redemptor mundi, Deus!
Spiritus Sancte, Deus!
Sancta Trinitas, unus Deus!
Sancta Maria! Ora pro nobis!
Sancta Dei genitrix!
Sancta Virgo Virginum!
Sancte Joseph!
Sancte Ignati!
Sancte Francisce Xaveri!
Sancte Stanislae!
Sancte Aloysi!
Amator Dei nobilissime!
Cultor ardentissime Jesu crucifixi!

Ora pro nobis!

Adorator diligentissime sanctissimi Sacramenti!
Alumne Beatae Virginis Mariae!
Contemptor mundi fortissime!
Exemplum pietatis!
Exemplum castitatis!
Exemplum modestiae!
Exemplum sui moderationis!
Amice praecipue orationis et devotionis!
Martyr amoris erga Deum!
Speculum caritatis proximi!
Specimen virtutum nobilissimarum!
Patrone studiosae juventutis!
Patrone animarum poenitentium!
Deprecator omnium, qui te invocant!
In tempore tentationis!
Ad status electionem!
In omnibus vitae nostrae necessitatibus!
Quum ex morbo cubamus!

Ora pro nobis!

Quum animam agimus! ora pro nobis!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi!
Parce nobis, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi!
Exaudi nos, Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi!
Miserere nobis!
Christe, audi nos!
Christe, exaudi nos!
Pater noster. Ave Maria.
Ora pro nobis, sancte Aloysi:
Ut digni efficiamur promissionibus Christi!

Oremus.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasti: ejus meritis et precibus concede, ut, innocentem non secuti, imitemur poenitentem. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad s. Aloysium.

O angelice juvenis, exemplum et patrone studiosorum literarum! Omni conscientiae pudore cumulavit te Deus omnibusque virtutibus, in quibus primo loco ponendae sunt: castitas, obedientia, modestia, quae ex tota vita tua quasi stellae fulgidae elucent prae ceteris! Fac me quaeso earundem virtutum strenuum sectatorem, Deum pro me gratiam implorans, ut neque tentationes mundi et diaboli, neque is, qui seductor me aditurus sit, animam meam peccatis contaminent. Haud ignorans autem, amator virtutis etiam occasiones fugiat oportere, statuo quam tu instititisti viam insistere et me in omnibus modestum, et abhorrentem mala consortia praestare; statuo, neque oculis neque auribus meis facultatem male custodi-

tam videndi et audiendi concedere, quippe quum per visum auditumque mors accedat animae meae! Tuum exemplum mihi ante oculos ponam eique me conformare studebo! Sicuti vero tu omnem spem in Deo collocasti ejusque gratia confisus ad omnia valuisti, ad quae flagrans Dei amor te impulerit: ita et ego ad exequenda ea, quae mihi proposui, Deum instanter imploro, ut me roboret et idoneum faciat, qui te imiter tuas aemulando virtutes. Quum autem oratio mea minus grata sit apud Deum, peto a te, angelice juvenis, ut intercedas pro me, ut, meas orationes Deo offeras, ut tuis meritis interpositis id mihi impetres, quod impetraturum me peccatorem sperare vix audeo. Esto mihi deprecator peccatorum, impetrator gratiarum, custos meus et comes per arduam, quae ad coelum ducit, viam. Amen.

Virtutes theologicae.

Actus fidei.

Firma fide credo te Deum esse, Unum in essentia, Trinum in personis; credo Filium Dei Jesum Christum incarnatum, passum pro nobis et mortuum; credo te remuneratorem bonorum et vindicem malorum; credo et profiteor, quae Symbolo Apostolorum continentur et omnia ac singula, quae s. Ecclesia Romana catholica mihi credenda proponit, quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti.

In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo.

Actus spei.

Misericordissime Deus, spero per passionem et merita Christi hic tuam gratiam et remissionem peccatorum; post-

hac vitam aeternam in beatifica tui possessione; quia tu Deus meus omnipotens es et infinite bonus erga nos ac fidelis in promissis.

Dominus firmamentum meum et refugium meum, liberator meus et adjutor, sperabo in eum, non confundar in aeternum. Ps. 17.

Actus caritatis.

Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde; amo te propter te et proximum meum propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita et ideo dignus, qui ab omnibus ameris. Ament te omnes homines! Laudent te omnes creaturae! Utinam ego, te, Deum meum, plus amem! Vere me poenitet, quod unquam te offendi; jam statuo servare omnia mandata tua.

Actus contritionis.

Domine Deus, doleo ex intimo corde de peccatis commissis, quia iis te, summum bonum super omnia dilectum, offendi; et detestor ea, quia tibi displicent; propono firmiter non peccare de cetero et ex hoc momento statuo, vitare et tollere occasiones omnes, caussas et pericula peccatorum: potius vitam et omnia amittere quam peccatum admittere; statuo etiam peccata mea quam primum confiteri et in satisfactionem acceptabo de manu tua omnia adversa, labores et onera.

Cor contritum et humiliatum Deus non despicies. **Ps. 50.**

Actus relationis operum in Deum.

Domine. Deus omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur

et summus, sine quo nihil possumus: quaecunque cogitabo, loquar, agam aut patiar, omnia ad gloriam tuam et Domini nostri Jesu Christi refero.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Amen.

Pro conservanda castitate.

Purissime momine, qui cordium humanorum possessione maxime dignus es, tibi trado omnimodam possessionem et directum dominium omnium, quae in me sunt, renuntiando omni affectui terreno et sensuali delectationi: ita ut, si ego possem frui omnibus voluptatibus et deliciis sensus et carnis, quae ab omnibus hominibus delibari et percipi solent, quaeque desiderantur, et si possem etiam sine peccato illis perfrui, nihilominus tamen liberalissima mente illis renuntiarem et promptis-

sime illas fugerem: sicut nunc renuntio et fugio, quo tibi magis placeam, tibi purius vivam, me tibi conformem.

Praeterea non solum repudio quascunque delectationes carnis, sed etiam sensualitatis, quia cum laqueos omnium illecebrarum abrupero, et animam meam ab omni gustu et oblectatione terrena purgavero, tunc demum illa facilius se tibi conformabit et tecum uniet, et sic potero felici tui conspectu potiri, qui dixisti: „*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*" Exstingue igitur in me, Domine Jesu, et exstirpa radicitus funditusque omnem cupidinem carnis et sensuum. Amen.

Alia oratio.

O Fili Virginis, Jesu Christe, dilectissime animae meae, cujus oculi

contemplantur me omni loco, beati sane sunt mundi corde, vere beati, quoniam ipsi te videbunt: hoc est unicum desiderium meum.

Audivi dicentem Ecclesiasten tuum: Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem: ideo ego eam diligo, ut tu mihi, amantissime Deus, amicus sis, qui dedisti mihi gratiam, ut caperem verbum, quod non omnes capiunt: Angelorum instar esse! Sed quia scio, non aliter fieri posse, ut continens et innocens maneam, nisi tu, Deus, mihi des: rogo te per magnam misericordiam tuam, custodias animam meam, quoniam sanctus i. e. tibi sanctificatus sum, ut vitem omnes occasiones et aliorum conversationes, quae innocentiae et integritati animae meae vulnus aliquod infligere possint,

imprimis eos fugiam socios, quorum mores minus probatos sciam, in quibus nihil virtutis, nihil obedientiae, nihil honestatis insit! „*Quisquis cum malis consueverit, expers non erit labis*“ hoc mecum saepius cogitabo. Da mihi, Deus meus, perpetuam hanc voluntatem, ut in dies crescam innocentia et animae puritate, per Jesum Christum, Redemptorem meum deprecatrice B. V. Maria. Amen.

Oratio contra tentationes mundi, carnis et diaboli.

Deus, qui salutem nostram semper exoptas et nullius ad te frustra suspirium emitti permittis, exaudi me gementem in hac hora ad te, quoniam anxiatur vehementer spiritus meus et a tua solummodo pendeo dextera. Vide Pater, vide statum meum, vide peri-

culum meum, quum inter spinas, ut ita dicam, mihi semper gradiendum sit, qui sum tam fragilis et infirmus, et cum inimicis mihi congrediendum, qui tam feroces sunt ac potentes, qui semper insidiantur, ut me circumveniant et importune semper sollicitant ad peccatum: caro nempe, domesticus hostis, insidiatur mihi continuis impugnationibus; mundus et omnis ejus ornatus atque gloria ad se cor meum per mille objecta trahit et allicit; diabolus ad omne malum tentator mihi est, cogitationes pravas immittit, occasiones offert et continuis suis jaculis me terret. Sic undique pericula, undique insidiae, neque pax est aut requies in anima mea!

Quid faciat servus tuus, Domine Pater, filius tuus tam impotens ex se, tantis agitatus procellis? Quae ei vir-

tus, ut tantis obsistere valeat inimicis? Et quomodo folium, quod vento rapitur, contra vim tantae subsistat tempestatis? Certe Domine ex me ipso statim deficerem, neque unquam resistere possem tot ac tantis peccandi occasionibus, nisi tu auxilio mihi venires, nisi tua gratia infirmitati meae fortitudinem et solatium praeberet! Sed ecce, clamo ad te, qui nunquam derelinquis sperantes in te; ecce diffidens mihi et viribus meis, tibi soli confido, spem meam omnem in te colloco, et tu scis, Domine misericors, me de vita mea praeterita humiliatum et contritum firmiter proposuisse, nunquam in aeternum te offendere. Perfice ergo propositum meum, Domine, quod te inspirante concepi et confirma me tua virtute, ut secundo eventu contra adversarios meos decertem potiusque

mori quam iis consentire velim! Dic animae meae: „*Salus tua ego sum, noli timere, non te derelinquam,*“ ut adjutus gratia tua victor ex omni certamine discedam et laetus et triumphans tandem decantare possim: „Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, et non amovit misericordiam suam a me! Ipsi laus et gloria in saecula. Amen.

Oratio animae poenitentis.

O quantum gemere debeo, quum praeteritam vitam meam considerem et offensas contra te, Dominum et Deum meum, commissas recordor! Heu quomodo sic datus sum malae voluntati! quomodo sic excoecari potui et in tantam incidere dementiam, ut innocentiam exuendo iniquitatem induerim, et creatorem meum deserendo

diabolo adhaeserim! Sciebam et intelligebam, vitam esse et mortem ante oculos meos, bonum et malum, poenam gloriamque, et cum liberum arbitrium habuissem, eligendi horum alterum, elegi tanquam fatuus et iniquus mortem, malum et poenam! Et quum a nemine cogi potuissem, tamen, quid agerem haud ignorans, peccatum admisi, suggestionibus inimicorum meorum consensum praebui, primitias juventutis meae Deo debitas ad eorum voluntatem direxi, nullum peccantem, licet a peccatis retrahere potuissem, retrahere volui, imo ad peccandum verbis aut factis alios impuli, multisque ad vitia exemplis malis meis viam monstravi! Quo diutius tu Deus me sustinuisti, eo durior fui corde et erecta cervice in te exsurrexi. Fides in me mortua fuit propter operum

bonorum defectum; inspirationes conscientiae meae neglexi, quae vero saluti meae contraria érant, libenter suscepi! Ecce, bone Jesu, qualiter dies juventutis meae expendi! Ecce in quibus studium meum consùmpsi, in quibus laboravi, cum quibus amicitiam inii, quae dilexi, quibus te spreto obedivi! Non habeo, quid dicam, quid respondeam, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: sed tu, Domine Jesu Christe, a cujus misericordia spes mea et salus dependet, qui tempus vivendi mihi tribuisti, tempus et gratiam quoque poenitendi et emendandi mihi misero misericorditer concedere digneris, quoniam benignus et misericors tu es et non vis mortem peccatoris, sed vitam. Memor esto, Domine, quod Creator meus es tu, et ego creatura tua! Ne perdas opus

tuum propter peccata mea! tu es Redemptor meus et Salvator: salva igitur me peccatorem per gratiam tuam, quem damnare potes per justitiam. Ecce in sola misericordia tua, Domine, respicio et peccatorum remissionem a tua bonitate deprecor! Da poenitenti veniam et noli secundum mea vitia ferre sententiam, sed sicut tua misericordia principium vitae meae praevenit, sic finem ejusdem concludat et mecum perpetuo maneat. Amen.

Pro Principe et Magistratibus.

Omnipotens, aeterne Deus et Dominus Dominantium! A te potestates sublimiores et imperantes in terra nobis in bonum ordinatae sunt, quibus subditos esse nos et pro quarum salute obsecrationes ad te fieri jubes, ut quietam et tranquillam vitam agamus

in omni castitate et pietate: imploro clementiam tuam pro Rege nostro N. omnique familia ejus et pro Magistratibus. Salvos fac servos tuos sperantes in te! Da, ut quo altiorem locum prae ceteris tenent, eo majora virtutum omnium percipiant incrementa; quibus decenter ornati, mala quaecunque devitare, in medium consulere, negotiorum onus facilius sustinere et meritorum pleni ad te feliciter pervenire valeant.

Mittas, quaeso, Principi et omnibus, qui a consiliis ejus sunt, sedium tuarum assistricem sapientiam, per quam reges regnant et legum conditores justa decernunt, ut probe intelligant, tuos se esse ministros et redituros tibi regiminis sui rationem; ut discernant bonum inter se et malum, ut regant populum tuum in justitia et

pauperes tuos in aequitate, patriaeque salus pia eorum sollicitudine nostraque obedientia in honorem nominis tui concordi fervore promoveatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pro parentibus, magistris, benefactoribus.

Deus, cujus primum in promissione praeceptum est: „*Honora patrem tuum et matrem tuam*," benigne excipies suspiria et vota, quae pro salute parentum meorum et qui horum loco mihi sunt, magistrorum et benefactorum meorum tibi offero. Hos itaque praeprimis tibi commendatos velim! Redde iis beneficia, quae te donante in me conferre non desinunt. Da iis salutem mentis et corporis, ut inter omnes vitae hujus varietates tuo semper protegantur auxilio et digne

ambulantes ad gloriam coelestem pervenire mereantur. Doce et conforta eos, ut vitam et mores meos bonis praeceptis imbuant optimisque exemplis ad virtutem forment; meque ipsum dirige, ne. quos praeesse mihi vis et quibus tot me titulis obstrictum profiteor, iis pietatem, reverentiam et obedientiam filialem unquam denegem; sed dignum semper illorum cura et bonitate me exhibeam, omnisque conversatio mea ita comparata sit, ut solatium, honorem et gaudium uberrimum ipsis offeram. Amen.

Preces ad s. Angelum Custodem.

Sancte Angele Dei, cujus custodiae a Domino commissus sum: habe me quotidie et jam et semper commendatum, ne in aliquod vium corporis vel animae incidam, sed te tuente liber

ab omnibus maligni insidiis et inoffensus maneam et ad patriam meam coelestem salvus tandem et incolumis te ducente et comitante perveniam.

Angelis suis Deus mandavit de te:

Ut custodiant, te in omnibus viis tuis.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas, concede propitius: ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hymnus ad sanctum Angelum Custodem.

Angelus nobis datus est patronus,
Dux vitae nostrae, medicus salutis,
Tutor et recti monitor, Magister
Semper et aequi.
Noster est custos, socius, minister,

Praeses, adjutor columenque tutum
Et decus magnum, Volucer parentis,
Nuntius alti.

Erigit lapsos, relevat dolentes,
Sanat aegrotos, recreat jacentes,
Dirigit caecas timidasque firmat
Robore mentes.

Corripit lapsus hominum benigne,
Eripit magnis animos periclis,
Hostis immitis valde sagittas
Telaque frangens.

Gloriam Patri tribuamus omnes,
Filii nomen celebrent et hymni,
Spiritus sancti resonent perennes
Carmina laudes.

Hymnus ss. Ambrosii et Augustini.

Te Deum laudamus: Te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes angeli, tibi coeli et universae potestates.

Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth!

Pleni sunt coeli et terra majestatis gloriae tuae.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te prophetarum laudabilis numerus,

Te martyrum candidatus laudat exercitus

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia

Patrem immensae majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu rex gloriae, Christe!

Tu Patris sempiternus es Filius:

Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum:

Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna coelorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Iudex crederis esse venturus.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae.

Et rege eos et extolle illos usque in sempiternum.

Per singulos dies benedicimus te,

Et laudamus nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri!

Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Oratio.

Infunde, Domine, cordibus nostris lumen sapientiae tuae, ut te veraciter agnoscamus et fideliter diligamus. Da nobis fidei, spei et caritatis augmentum et, ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare quod praecipis. Per Christum D. N. Amen.

Preces pro felici morte.

O Deus meus et Dominus meus! cui ab aeterno placuit, me incertum mortis meae temporis, loci et modi vivere: adoro suavissimas tuae providentiae dispositiones, quibus haec omnia voluisti pro tota aeternitate

ordinare. Ignorans igitur, quae mei corporis animaeque dispositio sit futura amodo idipsum facio, quod tunc cupiam fecisse me, humillime te deprecando, ut accepta, rata et grata habere velis vota et desideria mea, quae coram tua divina majestate nunc elicio et intime protestor.

Atque ita gratias ago tibi maximas, Deus meus et Dominus meus! ex nunc et ex illo postremo vitae meae momento, quo forte loquela et rationis usu privatus, non potero amplius loqui aut pios mentis affectus ad te elevare: tibi, inquam, gratias ago primo, quod me de nihilo produxisti, potens me in massa non creatorum relinquere; secundo, quod me fecisti nasci in ista mundi aetate et tempore christianae religionis, cum potuisses facere, ut nascerer in infidelium temporibus et

partibus, tertio, quod me regenerasti per baptismum, potens me relinquere mori, sicut pluribus aliis ante illius receptionem saepius contingit.

Adoro te, o principium vitae meae secundum naturam! o principium meae regenerationis per gratiam! o finis ultimus animae meae et mea interminabilis felicitas in gloria! Tu es prima veritas et ego credo indubitanter, quidquid dixisti; tu es suprema felicitas et ego spero incessanter, quod promisisti; tu me illuminasti purissimo tuo lumine; tu me sanctissima tua praevenisti gratia; tu mihi praeparasti sanctissima tua Sacramenta; tu me sacro cibasti Corpore Christi, unigeniti Filii tui, Salvatoris mei atque tam frequenter in me contulisti gratiam et Spiritus sancti dona.

O quantus amor! quanta beneficia! quantae dignationes! quantae gratiae in hanc pauperem animam meam et misericordiae a tua benignitate sunt collatae! Pro tot bonis et donis illi praestitis, quorum et numerum et pretium tu solus scis, nihil tibi aliud adhuc per vitae meae tempus rependi, quam impietates, infidelitates, ingratitudines, iniquitates et crimina, quae superant numerum capillorum et momenta dierum meorum! Sed, Domine, quo major est mihi pudor, quod te offendi, eo major tibi gloria, quod, mihi ignovisti: nam pro peccatis sine numero, sicut sunt mea, requiruntur miserationes infinitae, sicut tuae sunt!

Tali fiducia, o Dominus meus et Deus meus! coufugio ad eas miserationes, quae sunt infinitae, gemens et poenitens, quod te tam saepe offendi,

tam tarde cognovi, tam parum amavi! Nunc, o Domine, si aliud temporis spatium non haberem, quam hoc solum momentum, illud impenderem in te amando, o bonitas suprema! quia tu es id, quod es, et quia tu solus mereris adorationem et indefinitum omnium tuarum creaturarum amorem!

Hinc ob tui solius intuitum et respectum, o Amor aeterne! qui es semper amabilis nec unquam satis amaberis, detestor omnia peccata vitae meae, quia sunt contraria tuae sanctitati. Et quidem ex eo motivo detestor omnia peccata mea, ex quo Dominus meus Jesus Christus in horto agonizans illa est detestatus: eodem pariter detestor motivo, quo tu, o mi Deus, Pater, Fili et Spiritus sancte, Une in essentia et Trine in personis illa detestaris. Pro reparatione autem

contumeliae, quam tibi meae intulerunt iniquitates, offero tuae Majestati omnium justorum super terram, angelorum et omnium hominum in coelo beatorum, imo amorem illum, quo meus Salvator Jesus Christus te amat; et amorem, quo te ipsum, o mi Deus! ab omni aeternitate incessanter amasti et quo durante tota aeternitate te semper amabis.

Atque ad excipiendas has vitae meae iniquitates tanquam reus criminis laesae Majestatis, quem tu justissime condemnasti, accepto mortem, quandocunque et quomodocunque futuram; accepto destructionem hujus corporis, quod fuit causa tot injuste actorum et peccatorum. Accepto corruptionem corporis mei in recognitionem supremi dominii, quod in me possides. Accepto omnes desolationes, omnes angustias, om-

nes poenas, omnes tentationes et omnia mala (solo excepto peccato) pro satisfactione, quam tuae Majestati facere possum.

Quoniam autem nihil amplius valeo et possum, mi Domine, recordare quaeso me esse opus manuum tuarum, tui pretium sanguinis, tuae crucis victoria, tuae mortis pignus et tui amoris effectus. Quapropter morti tuae unio meam, amori tuo conjungo meum protestando aliam fidem a me non recipi, quam ecclesiae Romanae; non aliam spem, quam in tuis meritis, nec alium amorem, quam tuae bonitatis.

Si igitur quidpiam in me contrariam accidat, ego illud retracto, et actum nolo; sed firmiter volo, ultimum motum cordis mei esse motum adorationis, qui tibi praestet homagium vitae meae, si quidem plus est tua,

quam mea; volo iterum, ut haec tota simul sit motus amoris, qui te amans propter te ipsum amet, atque per totam aeternitatem amando continuet tui amorem! Verum est, o mi Deus! me his omnibus multum timere, quum mea crimina sint valde magna, et tua judicia nimis terribilia: sed pariter verum est, non obstante amori meo timore, etiam plus me speraturum, quia tu es misericordia et multum peccantibus condonas, quia tu es infinite misericors et in finem usque misereri ne oblivisceris, quia tu es totus misericors et ipsamet misericordia, et omnia supplicibus dimittis.

Plenus hac amorosa et dulci confidentia, qua in te feror, spero visurum me tua bona in terra viventium tu es resurrectio et vita, et quum tuam potentiam adoravero, quae me creavit; tuam bonitatem, quae me redemit; tuam

sapientiam, quae me illuminavit; tuam providentiam, quae me gubernavit; tuam misericordiam, quae mihi tantum condonavit: etiam adorabo tuam justitiam et illi me totum pro momento illo subjicio, quo illa determinavit me judicare; tali tamen fiducia et firma spe justitiae tuae et judicio me submitto, tuam bonitatem non me deserturam, sed pro me responsurum tuae justitiae meque misericordias tuas in aeternum cantaturum. Amen.

Pro fidelibus defunctis.

Ecclesiae tuae caritas, Deus, arctis hujus vitae limitibus non continetur, sed ultra sepulchrum porrigitur, eorumque meminit, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis; et quemadmodum ipsa beatorum tuorum precibus juvari

cupit, ita piis suffragiis suum in eos studium testatur, qui perfectae beatitudinis nondum sunt participes. Placeat tibi pietas haec communionem Sanctorum recolens, et certe sancta et salubris cogitatio est, pro defunctis exorare, ut a peccatis salvantur. Supplices igitur, Domine, pro animabus defunctorum preces effundimus, obsecrantes, ut si quae eis maculae de terrenis contagiis adhaeserunt, remissionis tuae misericordia deleantur, et quibus fidei christianae meritum contulisti, dones et praemium, eosque in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortes.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinguos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Ma-

ria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuae beatidudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor ac Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, quas de hoc saeculo migrare jussisti, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Jube eas a sanctis Angelis suscipi et ad patriam Paradisi perduci. Da illis refrigerii sedem, nosque eos in aeternae claritatis gaudio fac videre. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen. Pater noster etc.

Psalmi poenitentiales
cum orationibus contra septem vitia capitalia.

Antiph. *Ne reminiscaris.*

Psalm. 6. *Est pia poenitentis precatio.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum; sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?

Convertere Domine et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo

per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri etc.

Oratio *contra superbiam*. Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, et ego, vilissimus terrae vermiculus, ego pulvis et cinis, ego peccatorum maximus, qui millies infernum merui, non

verear me animo efferre? Propitius esto mihi Domine, agnosco, et detestor exsecrabilem arrogantiam meam! Ne, obsecro, cum superbo Lucifero ejusque asseclis, in gehennae barathrum me deturbes: convertere, et eripe animam meam; adjuva me, et salvum me fac propter misericordiam tuam. *Elegi imposterum abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Psalmus 31. *Beatus, qui a peccato liber est.*

Beati, quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non inputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est

super me manus tua, conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci et injustitiam meam non abscondi, Domine, et tu remisisti impietatem peccati meí.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino et exultate justi et gloriamini omnes recti corde.

Gloria patri etc.

Oratio *contra avaritiam*. Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum? Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu, satiabor cum apparuerit gloria tua. Eheu! quod tanto hactenus studio mammonae servivi! Et quid mihi proderit, si universum mundum lucratus fuero, animae vero meae detrimentum patiar? Dormiverunt somnum suum omnes viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis. Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remittes, spero, impietatem

peccati mei. Pauperis imposterum miserebor, male parta restituam, et tuo me servitio ferventius impendam. Tu Domine, adjuva me, qui reples in bonis desiderium meum.

Psalmus 37. *Describitur miseria peccatoris.*

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus

sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: nequando supergaudeant mihi inimici mei et dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis,

detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meae.

Gloria Patri etc.

Oratio *contra iram.* „*Homo homini reservat iram et a Deo quaerit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam et de peccatis suis deprecatur. Quis orabit pro delictis ejus?*“

His verbis mihi, Domine Deus, loqueris per servum tuum filium Sirach. Et ego posthac iram aut odium contra quemquam fovere audeam? Parce Domine, parce malitiae et pertinaciae meae, in qua hucusque perseveravi. Ex animo nunc ignosco et remitto, quidquid ullus unquam in me

peccavit: supplexque oro Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: utinam tanquam surdus imposterum non audiam, et sicut mutus non aperiam os meum, quando inimici mei contra me insurgunt et vim faciunt, qui quaerunt animam meam! Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me, quoniam tu es patientia mea!

Psalmus 50. ***Est pia Davidis poenitentis oratio.***

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis et vincas cum judicaris.

Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus et Spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas et impi ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus,

Deus salutis meae, et exaltabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes, et holocausta, tunc imponent super altare tum vitulos.

Gloria Patri etc.

Oratio *contra luxuriam*. Pater, peccavi in coelum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus. Quid faciam miser? Non enim per-

manebit Spiritus tuus in homine, quia caro est. Ah! miserere mei, miserere! Quod cum tot reproborum millibus, quos hodiedum abominanda luxuriae pestis in gehennam praecipitat raptus non sum, infinitae tuae bonitati adscribo. Ergone iterum peccabo? Iterumne pretiosissimum sanguinem tuum o Jesu, in ablutionem scelerum meorum effusum, amore bestialium voluptatum exculcabo? Absit: Obsecro te, o fili castissimae virginis Mariae! a spiritu fornicationis libera me amplius, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Psalm 101. *Oratio est ad avertenda peccati mala.*

Domine exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nicticorax in domicilio.

Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt et ego sicut foenum arui.

Tu autem Domine in aeternum permanes, et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum in generationem et generationem anni tui.

Initio tu Domine terram fundasti et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem per-

manes et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria patri etc.

Oratio *contra gulam*. Me miserum! qui te, Domine Deus, fontem aquae vivae reliquerim, et mihi foderim cisternas delectationum terrenarum, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas! Vere oblitus sum comedere panem meum, panem vitae, omne delectamentum in se habentem, et omnes saporis suavitatem, ventremque porcorum siliquis implere studui.

Adhuc escae erant olim in ore filiorum Israël, cum ira Dei descenderet super eos, et mihi toties parcitum,

qui cibi potusque intemperantia tuam, Deus, imaginem et similitudinem brutis non raro similem feci! Utinam imposterum cinerem tanquam panem manducem, et potum meum cum fletu misceam! cibusque meus sit, tuam in omnibus facere voluntatem, qui torrente voluptatis tuae potabis nos.

Psalm. 129. ***Ut a culpa et poena liberemur.***

De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redemit Israël, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria patri etc.

Oratio *contra invidiam.* Sic, mi Deus, dilexisti mundum, ut filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in te, non pereat, sed vitam habeat aeternam. Tu solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos; et ego dum aliis bene est, invidia exstimuler? omnia mihi ex voto evenire exoptem, proximi tamen vel minima felicitate contrister? inhumanam malitiam! o virus infernale! Ignosce clementissime pater, quod in eo hactenus a me peccatum est. Benigna est misericordia

tua, fac, ut et ego ex hoc momento induam, sicut electus Dei, viscera misericordiae, et benignitatem et super omnia caritatem habere studeam, quod est vinculum perfectionis.

Psalm. 142. ***Poenitens a via peccati optat reduci.***

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia.

Et non intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum,

meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine, vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum.

Gloria patri etc.

Antiph. Ne reminiscaris Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Oratio *contra acediam.* Ecquando, mi Deus, ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omnibus viribus meis, uti par est, te amare et laudare incipiam, qui in caritate perpetua dilexisti me, tibique me sponsasti in sempiternum? Eheu! dormitavit anima mea prae taedio. Vae mihi, qui adeo hactenus in tuo servitio fui tepidus, ut merito formidare possim, ne me incipias evomere ex ore tuo. Sed parce Domine, ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justi-

ficabitur in conspectu tuo omnis vivens. Expando manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus, Spiritus autem tuus bonus deducet me in terram rectam. Et propter nomen tuum, Domine, vivificabis me!

Litaniae de omnibus Sanctis.

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!
Pater de coelis Deus, Miserere nobis!
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis!
Spiritus sancte Deus, miserere nobis!
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis!
Sancta Maria, Ora pro nobis,

Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Ora pro nobis!

Omnes sancti Angeli et Archangeli, Orate pro nobis!

Omnes sancti beatorum spirituum Ordines, orate pro nobis!

Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis!

Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate pro nobis!

Sancte Petre, ora pro nobis!

Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Mathaee,
Ora pro nobis!

Sancte Simon,
Sancte Thadaee,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis!

Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, Orate pro nobis!

Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis!

Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis!

Sancte Stephane, ora pro nobis!

Sancte Laurenti, ora pro nobis!

Sancte Vincenti, ora pro nobis!

Sancte Placide cum sociis tuis, ora pro nobis!

Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis!

Sancte Joannes et Paule, orate pro nobis!

Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis!
Sancti Gervasi et Protasi, orate pro nobis!
Omnes sancti Martyres, orate pró nobis!
Sancte Sylvester, ora pro nobis!
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Ora pro nobis!
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro nobis!
Omnes sancti Doctores, orate pro nobis!
Sancte Pater Benedicte, ora pro nobis!
Sancte Antoni,
Sancte Maure,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Ora pro nobis!

Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate pro nobis!
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate pro nobis!
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis!
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Sancta Scholastica,

Ora pro nobis!

Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro nobis,
Omnes sancti et sanctae Dei, intercedite pro nobis,
Propitius esto, parce nobis Domine,
Propitius esto, exaudi nos Domine,
Ab omni malo, libera nos Domine,
Ab omni peccato, libera Domine,
Ab ira tua, libera nos Domine,

A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira et odio et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum,
Per Crucem et Passionem tuam,
Per Mortem et Sepulturam tuam,
Per sanctam Resurrectionem tuam,
Per admirabilem Ascensionem tuam,
Per Adventum Spiritus sancti Paracliti,

Libera nos Domine!

In die Judicii,
Peccatores, te rogamus audi nos!

Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut Domnum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos Ordines sancta Religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris,
Ut regibus et principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmet ipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas,

Te rogamus, audi nos!

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,
Ut fructus terrae dare et conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus Defunctis requiem aeternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
Fili Dei,

Te rogamus, audi nos!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine!
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis!
Christe audi nos!
Christe exaudi nos!

Kyrie eleison!
Christe eleison!
Kyrie eleison!
Pater noster.
℣. Et ne nos inducas in tentationem:
℟. Sed libera nos a malo.

Psalm: 69.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur: qui quaerunt animam meam.

Avertantur retrorsum et erubescant: qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, euge, euge.

Exultent et laetentur in te omnes, qui quaerunt te et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus et pauper sum: Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu; Domine ne moreris.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto: Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Salvos fac servos tuos:

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis:

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis:

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in

terra et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus Defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, cui proprium est misereri

semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N.

et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine, ut tibi casto corpore serviamus et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis: pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

Litaniae Sanctorum rythmicae.

Summe Pater, sancte Deus,
Sator mundi, factor meus
Potens et propitius:
Salva precor creaturam
Pro qua carnis hanc naturam
Tuus sumpsit Filius.
Jesu nostram suscepisti
Carnem, crucem subiisti
Coeli missus culmine:
Quidquid carnis per reatum
Cor contraxit inquinatum
Tuo lava Sanguine.
Sancte Spiritus benigne
Caritatis urens igne
Renes et praecordia:
Mentes precor nostras munda
Et superni nos foecunda
Roris abundantia.
Deus trinus in personis,
Individuus in donis,
Unus in substantia:

Nostram fac infirmitatem
Per spem, fidem, caritatem
  Tua firmet gratia.
O Maria, fulges Polo,
Sed post Deum praees solo,
  Nec non sola Domina!
En nos tibi mancipamus,
Tu fac clemens, quod rogamus,
  Fortes ad certamina.
Alma Dei Creatoris
Sed et rei peccatoris
  Mater clementissima!
O sis reis Advocata
Hinc es Mater, et hinc nata
  Proles ex te maxima.
Virgo potens et praeclara
Super omnes Virgo rara
  Partu virgo clarior:
Corde simus fac purgato,
Quo sit tibi, sed et nato
  Cultus noster carior.
Michael, Dux Angelorum
Qui dracónem de coelorum
  Profligasti sedibus:
Ne superbi deprimamur,
Fac demissos, ut jungamur
  Per te coeli civibus.

Gabriel, qui nuntiasti,
Cum Mariam salutasti
  Grandia mysteria:
Fac, ut toto redamemus
Corde Deum et laudemus
  Tanta pro clementia.
O Raphael, qui Tobiae
Ducem te praebebas viae,
  Coeco lucis copiam:
En errantem, fer tutelam,
En me coecum, fer medelam:
  Eja fac ut videam.
Age custos gloriose,
Serve Dei generose,
  Creatura nobilis:
Mei precor curam gere,
Dux fidelis, et tuere
  Praesens in periculis.
Sancti Seraphim ardentes
Per amorem, nostras mentes
  Inflammate fortiter:
Ut ardenter redamemus
Et vobiscum collaudemus
  Deum nunc et jugiter.
Sancti Cherubim lucentes
Nostras illustrate mentes
  Numinis notitia;

Dei nosse majestatem,
Sed et nostram vilitatem
  Per vos praestet gratia.
Commendate nos, o Throni,
Christi plagis, passioni,
  Sanguinisque pretio:
Donis Jesu sic fruamur
Ut in throno tunc sistamur
  Judici propitio;
O vos Dominationes!
Vestrae nos orationes
  Muniant dominio:
Cedat satan, caro, mundus
His, queis Christus Rex, spes, pondus,
  Pars, sors et possessio.
Precor vos o Principatus,
Ut qui princeps nobis natus
  Datus et in pretium:
Solus in nos dominetur
Mundi princeps exturbetur,
  Cordis servans atrium.
Potestates opem ferte;
En quot hostes nos aperte,
  Quot occulte vulnerant!
Christi sudor et flagella,
Cruor, clavi, crux, mors, bella
  Persequentum conterant!

O Virtutes vos coelorum,
Mira terris vi gestorum
  Et signorum praesides:
Per vos nostra sustentetur,
Nam se nixa collabetur
  Fluida maceries.
Archangeli summo Deo
Assistentes, mihi reo
  Ferte patrocinium:
Dum tentati suspiramus,
O si per vos sentiamus
  Coelitus auxilium!
Ave coetus Angelorum
Summo Regi Beatorum
  Praesens ad obsequia:
Restauranda pro ruina
Malignorum, nos divina
  Per vos servet gratia.
Patriarchae et Prophetae
Coelum nobis obtinete
  Vestra per praesidia:
Ut vobiscum regustemus
Quae nunc sola spe tenemus
  Bona coeli gaudia.
Sancti Reges, qui jam nato
Regi regum corde grato
  Tria fertis munera:

Mentem thus det elevatam,
Myrrha carnem castigatam,
Aurum formet opera.
O Praecursor Christi, magnus
Pastor, a te dictus Agnus
Mundi tollit crimina:
Hoc pastore fac regamur
Donec hic peregrinamur
Exules a patria.
Ave Joseph, sponse digne
Matris Virginis benignae
Custosque castissime:
Lunae splendor atque solis,
Amor sponsae nos et prolis
Fac accendat intime.
Petre, claviger coelorum
Et patrone peccatorum,
Christi clarus gratia:
Fac nos vere poenitentes,
Ut quod nostras foedat mentes
Lavet poenitentia.
Paule, vas electionis
Quantis te replevit donis
Mira Dei pietas!
Ora Christi per amorem
Ne nos mortis in errorem
Mundi trahat vanitas.

Fac Andrea qui subisti,
Ut fidelis servus Christi,
Crucem cupidissime:
Nobis absit gloriari,
Nisi cruce salutari,
In qua salus animae.
O Joannes, Christi care
Cui Mater sine pare
Datur in custodiam:
Mortis, precor, in agone
Te cum Matre mecum pone
Hostis contra furiam.
O Jacobe, qui bibisti,
Velut consors regni Christi,
Passionis calicem:
Fac ut expers mentis vanae,
Toto corde christianae
Sequar vitae tramitem.
Coetus vos Apostolorum,
Terrae duces et coelorum
Clara luminaria:
Christum, precor, exorate
Ut nos pari caritate
Trahat ad coelestia.
Euge Stephane beate,
Martyr Christo consecrate,
Primus rubens sanguine:

Fac amore nos ferventes
Et adversis non cedentes,
  Promptos hosti parcere.
Fortis pugil, o Laurenti,
Quem nil movit vis tormenti
  Nec tyranni feritas,
Quae te fecit sic invictum
Ut nos armet ad conflictum,
  Fortis, ut mors, caritas.
O Vincenti, qui vicisti
Et invictus jam cepisti
  Praemia vincentium:
Des invictum robur menti,
Soli Christus nam vincenti
  Manna dat absconditum.
O cruore purpurata
Et jam Christo sociata
  Salve cohors Martyrum!
Quantam regno vim coelorum
Intulistis, nec malorum
  Vis effregit animam!
Nec nunc desunt persequentes
Quin in nostras saevit mentes
  Mundus, caro, satanas.
Nec tam dira sunt tormenta,
Quam nociva blandimenta!
  O nos servet caritas!

Sancte Pater Augustine,
Bonitatis qui divinae
  Clarus es indiciis:
Fac, nos solvat peccatorum
Vinculis Deus et malorum
  Liberet suppliciis.
Salve Pater Benedicte,
Legislator, dux invicte,
  Potens patrocinio:
Vitae nobis dux et mortis
Sis, ut bonae tecum sortis
  Perfruamur gaudio!
O Bernarde, sine felle
Tibi mens, sed omni melle
  Dulcius eloquium:
Nostra quoque mens mitescat,
Jesus illi fac dulcescat
  Omne super gaudium.
Euge turba Confessorum
Fide viva, zelo morum
  Christi flagrans munere:
Ope vestra dum fovemur,
Et nos Christum profitemur
  Ore, corde et opere!
Ave virgo Catharina
Doctos vincens et divina
  Praevalens scientia:

Contra sophos infrunitos
Pia fac nos eruditos
  Niti sapientia!
Virginum salvete chori,
Quibus datum mundo mori
  Carnisque deliciis:
Vester castas nobis mentes
Sponsus amans continentes
  Vestris donet meritis.
Ave dulcis Magdalena
Caritate Dei plena,
  Peccatorum gloria!
Toto fac poeniteat nos
Corde, tecum diligat nos
  Jesus uti omnia.
Anna salve labe carens
Sancta Dei matris parens
  Magnis fulgens meritis:
Mater praesto sis cum Nata;
Sed et Proles nos beata
  Vite donet praemiis.
Ave cohors Electorum,
Angelorum et Sanctorum
  Coetus omnis inclyte:
Vestra semper nos tutela
Christi ducat in sequela
  Et salutis tramite.

Omnes Sancti triumphantes
Et in coelis jubilantes
Perenni laetitia:
Nostra Deo praesentate
Vota, simul nos servate
Stabiles in gratia.
Omnes Sancti, qui regnatis
Christo juncti, quem laudatis
Cunctis procul hostibus:
Per vos nostra mancipetur
Ut vobiscum coronetur
Vita Dei laudibus.
O quos nunc viator orat,
Quantum Deus vos honorat!
Quanta beat gloria!
Honor illi, lausque pura
Sit ab omni creatura,
Qui dat unus omnia! Amen.

Preces stationum

passionis Domini nostri Jesu Christi.

Oratio praeparatoria.

Suscipe sanctissima Trinitas hoc servitutis meae obsequium, quod ad divinae Majestatis tuae gloriam et recognitionem redemptionis nostrae, pro satisfactione peccatorum meorum, ad impetrandam defunctis requiem vivisque gratiam omnibus offero in unione meritorum Domini nostri Jesu Christi, B. Virginis et omnium Sanctorum. Tibi laus, honor et gloria, o beata Trinitas, in sempiterna saecula. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende:

℟. Domine ad adjuvandum me festina!

Gloria Patri etc.

I. Statio.

Ubi Christus morti ad judicatur.

Adoramus te Christe et benedicimus tibi, quia per crucem s. tuam totum mundum redemisti.

Antiphona. Dixerunt impii secum non recte cogitantes: „Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris: promittit, se scientiam Dei habere. Filium Dei se nominat; videamus, si sermones illius veri sunt. Et si est vere Filius Dei, liberet eum de manibus nostris; morte turpissima condemnemus eum.

Domine Jesu Christe, qui de coelis ad terram de sinu Patris descendisti et Sanguinem tuum pretiosum in

remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humiliter deprecamur, ut in die judicii ad dexteram tuam audire mereamur: „*Venite* benedicti *Patris mei, percipite regnum, quod paratum est vobis ab initio.*“ Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

II. Statio.

Ubi Christo crux imponitur.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Ave Rex noster, tu solus nostros es miseratus errores. Patri obediens ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Tibi gloria in excelsis; tibi triumphus et victoria; tibi summae laudis et honoris corone!

Omnipotens, sempiterne Deus!

fac gratos Filio tuo cruce onerato nos praestemus eumque libenter sequamur passionibus nostris gravati, ut ejus passionis fructus hic nos liberet a malo et aliquando ad aeterna gaudia perducat. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

III. Statio.

Ubi primo Christus sub cruce cecidit.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Deus miserationis! Averte oculos a peccatis nostris et Filium respice tuum

pro nobis poenam luentem; parce nobis et praesta, ut Unigeniti tui passio a peccatis commissis nos purget et conservet, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei.

IV. Statio.

Ubi B. Virgo cum s. Joanne obviat Christo.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Idcirco ego plorans et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam. Defecerunt prae lacrimis oculi mei: conturbata sunt omnia viscera mea;

effusum est in terra jecur meum super contritione filii mei, quoniam praevaluit inimicus.

Deus, qui ad nos redimendos tam multa parasti, praesta, ut tanta Filii tui humilitate, qui peccatori tam propitius obvenit, tibi conciliemur et intercessione Matris Virginis in hac gratia perseveremus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei.

V. Statio.

Ubi Simoni Cyrenaeo crux imponitur.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio

nostra, per quem salvati et liberati sumus.

Domine Deus! Fac me promptum ad crucem Christi ferendam, ut non coactus, ut hic Cyrenaeus, sed mea sponte eam portem. Quidquid tu mihi imponis, nec abjicere nec renuere possum, quia nemo voluntati tuae resistere potest. Jube ergo, quod vis, sed da, quod jubes, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster etc. ***Ave Maria*** etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

VI. Statio.

Ubi Veronica Christo obviat.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Ecce, vidimus eum non habentem speciem neque decorem, de-

spectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum. Inglorius est inter viros aspectus ejus et forma ejus inter filios hominum. Ipse autem est speciosus forma prae filiis hominum, cujus livore sanati sumus.

Omnipotens, benignissime Deus! qui ad tuam similitudinem nos mirifice creasti et destructam peccatis imaginem per Unigenitum tuum restituere intendisti: praesta, ut hoc mysterium intelligamus, veterem hominem exuamus et ex Jesu Christo renovemur. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

VII. Statio.

Ubi Christus sub judiciaria porta cecidit.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Tradiderunt me manus impiorum et inter iniquos projecerunt me et non pepercerunt animae meae. Congregati sunt adversum me fortes et sicut gigantes steterunt contra me terribilibus oculis intuentes et plaga crudeli percutientes subfannaverunt me.

Deus, qui laborantes et gementes passione Filii tui recreas et consolaris, da nobis flagrantem salvatoris nostri amorem, ut a peccatis nostris liberemur, ad opera bona praeparemur et in die judicii ingenui Filii tui fratres inveniamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen-

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

VIII. Statio.

Ubi mulieres Christum deplorant.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Filiae Jerusalem! nolite flere super me sed super vos ipsas flete et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: „Beatae steriles et ventres, quae non genuerunt.“ Tunc incipient dicere montibus: „cadite super nos,“ et collibus: „operite nos.“ Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?

Domine omnipotens, da mihi lacrimas, ut peccata mea die et nocte defleam! Nihil aliud dignius est, quod defleamus, quam peccata, quae Dominum Jesum tantis implerunt doloribus nosque in aeternum felicitate

coelesti privant. Da ergo donum lacrimarum, quibus abluamus reatum omnem per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

IX. Statio.

Ubi ultimo cecidit ad montem Calvariae.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Popule meus, quid feci tibi aut in quo contristavi te? Responde mihi. Ego te eduxi de terra Aegypti et tu me eduxisti ad patibulum crucis! Ego te pavi Manna per desertum quadraginta annis, et tu me cecidisti alapis et flagellis! Ego dedi tibi sceptrum regale, et tu dedisti capiti meo

spineam coronam. Quid ultra debui tibi facere et non feci?

Deus! terribilia sunt judicia tua, quae Eum ipsum percutiant, in quo tibi bene complacuit: at per immensam caritatem tuam, qua proprio filio non pepercisti, ut nos redimeres, largire nobis amorem tui, qui everti non possit, ut cupiditas mundanarum rerum in nobis deleatur et spiritus tuae caritatis in nos semper dominetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

X. Statio.

Ubi felle et aceto potatur.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Populé meus, quid feci tibi aut in quo contristavite? Responde mihi! Ego eduxi te de domo servitutis in terram promissionis: et tu me descendentem e sinu patris eduxisti ad

mortem crucis! Ego te plantavi vineam meam speciosissimam, et tu facta es mihi nimis amara. Ego te potavi aqua salutis de terra, et tu me potasti felle et aceto. Quid ultra debui tibi facere et non feci?

Domine Deus meus! Per immensam caritatem dilectissimi filii tui da nobis, ut abrenuntiamus omni intemperantiae cibi et potus, sobrie, juste et pie exspectemus adventum ejus, qui tanta pro nobis passus est! Indue animae nostrae justitiam et pietatem, voluntati nostrae facilitatem et studium, tibi placendi, ut eo magis meritis Christi digni fiamus. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

XI. Statio.

Ubi cruci horrendis clavis affigitur.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Popule meus, quid feci tibi? Ego te exaltavi magna virtute,

et tu me suspendisti in patibulo crucis! Ego te excelsiorem feci cunctis gentibus, et tu me saturasti opprobriis et maledictis. Ego ante te aperui mare rubrum, et tu aperuisti lancea latus meum. Quid ultra debui tibi facere et non feci?

Deus! agnoscamus culpam nostram, quam filius tuus cruciatu crucis solo delere potuit; da, ut humilitas animarum nostrarum, quam nostra sponte subibimus, gratia tua dignos nos tibi reddat et per gratiam hanc ad aeternam felicitatem nos perducat. Hoc nobis permitte per vulnera Salvatoris nostri, quem crucifixum adoramus Deum nostrum et Dominum! Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

XII. Statio.

Ubi Christus in cruce moritur.

Adoramus te Christe etc.

Antiph. Ecce quomodo moritur ustus et nemo percipit corde; viri justi

tolluntur et nemo considerat: a facie iniquitatis sublatus est justus, et erit in pace memoria ejus!

Aeterne et misericors Deus! qui unigenitum tuum post tantos cruciatus, quibus pro nobis mori dignatus est, in sinum paternum recepisti: nos quoque cum eo tibi oblatos recipe, et hac vita aerumnosa defunctos in majestatem filii tui assume, quem verum Deum nostrum agnoscamus et glorificamus. Amen.

Pater noster etc. *Ave Maria* etc.

Domine Jesu Christe crucifixe, miserere mei!

Oblatio.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit, manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

J. O. G. D.

Index.

pag.
Pauca de oratione 3

Pars prior.

Preces matutinae , ... 7
Salutatio angelica 11
Ante studium et post 12
Preces vespertinae 14
Preces sub sacrosancto Missae sacrificio . . . . , . . 19
S. Missa ex Missali Romano . 39
Preces ad confessionem sacramentalem 71
Preces ad s. communionem . . 84
Orationes aliae ad s. confessionem et communionem . . . 98

Pars posterior.

Litaniae de ss. Trinitate . . . 127
Adoratio et gratiarum actio pro acceptis beneficiis 132

pag.
Visitatio ss. sacramenti Altaris . 137
Salutatio ss. Sacramenti . . . 143
Hymnus ad ss. Sacramentum . 147
Septem orationes de Passione Domini 149
Litaniae de Nomine Jesu . . 157
Oratio ad Nomen Jesu . . . 162
Hymnus de ss. Nomine Jesu, auctore s. Bernardo 163
Suspirium s. Francisci Xaverii 169
Oratio ad Jesum in afflictione . 170
Litaniae ad s. Spiritum . . . 173
Hymnus de s. Spiritu . . . 181
Piae adspirationes ad s. Spiritum pro septem ejus donis impetrandis 182
Litaniae Lauretanae 185
Oratio s. Bernardi ad B. V. M. 190
Commendatio ad Mariam . . . 191
Oratio ad B. Virginem pro conservanda castitate 192
Salutationes B. V. M. pro felici morte impetranda 193
Alia oratio s. Bernardi ad B. V. Mariam . . . . , . 194

	pag.
Hymni Mariani s. Casimiri, principis Poloniae	195
Litaniae de s. Aloysio . . .	211
Oratio de s. Aloysio . . , .	213
Virtutes theologicae	216
Oratio pro conservanda castitate	219
Alia oratio	220
Oratio contra tentationes mundi, carnis et diaboli	222
Oratio animae poenitentis . .	225
Pro principe et magistratibus .	228
Pro parentibus, magistris, benefactoribus	230
Ad s. angelum custodem . . .	231
Hymnus ad s. angelum . . .	232
Hymnus ss. Ambrosii et Augustini	233
Preces pro felici morte . . .	236
Preces pro fidelibus defunctis .	244
Psalmi poenitentiales cum orationibus contra septem vitia capitalia	247
Litaniae de omnibus Sanctis .	269
Litaniae Sanctorum rythmicae .	283
Preces stationum passionis D. N. J. C.	294

Druck von J. F. Rietsch in Landshut.

Corrigenda:

Pag. 26 *in versu ultimo lege* passus *pro* possus.

„	*50* „	„	*19*	*lege* faciet *pro* faci et.
„	*55* „	„	*12*	*lege* Dignum et *pro* dignum est.
„	*90* „	„	*11*	*lege* designo *pro* designor.
„	*103* „	„	*14*	*lege* eaque *pro* eoque.
„	*139* „	„	*ult.*	*lege* morientium *pro* morentium.
„	*149* „	„	*17*	*lege* baptizari *pro* baptisare.
„	*150* „	„	*1*	*lege* prostratusque *pro* postratusque.
„	„ „	„	*13*	*lege* totius *pro* otius.
„	*160* „	„	*4*	*lege* nativitatem *pro* navitatem.
„	*182* „	„	*2*	*lege* rigidum *pro* frigidum.
„	*196* „	„	*12*	*lege* liberet *pro* libera.
„	„ „	„	*13*	*lege* appella *pro* appellet.
„	*200* „	„	*3*	*lege* adspiciam *pro* aspicam.
„	*202* „	„	*10*	*lege* muta *pro* mutta.
„	*214* „	„	*2*	*lege* angelice *pro* angeliae.
„	*231* „	„	*19*	*lege* vitium *pro* vium.